A tenſibus imprudentem objeciſſe: precatuſque ſupplex & lacrymabundus illos, ut ea ſibi permutarent pecunia. Quibus acceptis, non ſolvit argentum, ſed quæſtu triginta talentorum ab amicis facto, navigavit Samothraciam, atque ibi captus eſt. *Plut. in Æmil.*

Angelus Raus J. C. Neapolitanus, dolore lucri averſi pala lignea ſe ab ancilla verberari præcepit, gravi pœna, ni obtemperaſſet, ei propoſita. Pecuniam enim, quòd argentea non eſſet, repudians, clientem acerbiùs objurgatum pro ea mutanda dimiſit. Ille indignè id ferens, ſtatim cum adverſario pactus liti ceſſit, neque ad advocatum rediit. *Pont. c.7. de Liberal.*

Fr. Armellinus Peruſinus, Cardinalis avariſſimus, cum Clemente VII. ex arce S. Angeli, in qua obſidebatur, opes ſuas à Cæſarianis militibus diripi ſpectaret, præ mœrore obiit, eorum quæ militum furori ſuperfuerant, Pontifice hærede exiſtente. *Garimbert. lib. 6.*

* AVARITIÆ POENA.

Cum Joannes ſedem Hieroſolymitanam adminiſtraret, animo ſimul cum honoribus permutato, avaritia cæcus, im- B menſas Domini divitias cumulavit, nec poterat illa auri fames ulla ſatietate expleri. Quod ut intellexit Epiphanius, conatus eſt eum ad benignè pauperibus faciendum allicere. At is aurum ſuum quovis charitatis officio præferebat, neque ullam pauperum curam habebat. Tum Epiphanius callidè per ſpecem i mutui argenti pondus circiter mille quingentarū libr. extorſit, potiùs quàm impetravit, totumq; illud magna hilaritate egenis diſtribuit. Interjectis autem diebus aliquot, Joannes importunus exactor argentum repetiit: Epiphanius autem leniter & placidè ſe redditurum promiſit. At ille inſtare & urgere, & vim inferre & virum ſanctum impoſtorem appellare cœpit, & multis eum injuriis afficere nō deſtitit. Epiphanius autē nihil cōmotus eſt. Tū is in faciē ejus expuit, & ſtatim cæcitate percuſſus, pronus in terram ſceleris ſui veniam poſtulavit. Tum Epiphanius, quanto ſe crimine obſtrinxiſſet, docuit, & impoſitis capiti manibus dextero oculo lumen reſtituit. Oravit autem Joannes & pro ſiniſtro, cui tamen ſanitas reſtituta non eſt, ut eo ſigno admonitus modeſtiam deinde conſervaret, & avaritiæ peſtem cautiùs ſubterfugeret. *D. Auroilius in Catech. hiſt. tom.3.*

C Quàm verò Deus juſtus judex pro cujuſque fide meritis digna perſolvat, quàmque terribilis ſit in conſiliis ſuper filios hominum, hoc eodem anno, dito ſanè valdè demonſtravit exemplo, cū in ultionem Epiſcopi avariſſimi dæmones carnifices præparavit. Rem geſtam idem *Lambert.* ſic narrat: Reginherus Miſnenſis Epiſc. obiit. Is dum ſuſcepto Epiſcopatu Goslariam veniſſet, poſt refectionem in cubiculum, ubi theſauros ſuos, quorum nimis amator erat, nullo conſcio infoderat, quaſi paululùm requieſcere volens, ſeſe incluſit. Cumque jam die urgente in veſperam præter modum conſuetudinemque ſuam ſomno indulgere videretur: rem inſolitam mirantes cubicularii, pulſare oſtium cœperunt, ſed nec pulſantibus, nec vociferantibus ullum dabatur reſponſum. Tandem effractis foribus irrumpentes invenerunt eum fractis cervicibus, colore tetro, exanimem ipſis theſauris ſuis miſerabilem in modum incubantem. *Lambert. Schafnabur. apud Baron. tom. 11. an. D.1607. 13.*

An. D. 983. perturbante Ethelredo Rege Anglorum Roffenſem Eccleſiam, ſuo maximo damno pro redemptione pacis ab ejus Epiſcopo argentum accepit, comminante illi D & prædicente S. Dunſtano ventura mala. Quomodò res ſe habet, ita ex antiquis Cronographis deſcripta legitur: Anno gratiæ 983. ſurrexit inter Regem Ethelredum & Roffenſem Epiſc. contentio, ſed qua cauſa, habetur incertum. Quocirca contra Roffenſium civitatem obſidionem componens eam debellare diſpoſuit. Mandavit Regi B. Dunſtanus Archiep. Cantuar. ut deſiſteret ab inceptis, ne S. Andream illius civitatis patronum irritaret: Sed nec propter beati viri admonitionem Rex diſcedere voluit, priuſquam ab Epiſcopo centum libras accepit. Miratus S. Dunſtanus Regis cupiditatem, hæc per ſuos Regi nunciavit: Quia prætuliſti argentum Deo, pecuniam Apoſtolo, cupiditatem mihi, violenter venient ſuper te mala, quæ locutus eſt Dominus; ſed hæc me vivente non fient. Jam verò poſt beati viri obitum, ut ipſe prædixerat, Danis omnes portus regni intrantibus, dum neſciretur, ubi eis occurri deberet, decretum eſt à viris prudentibus, ut vincerentur argento, qui non poterant ferro. Itaque 10. millia librarum ſoluta Danorum avaritiam expleverunt, ut B. Dunſtani vaticinium impleretur. *Mat. Vveſtmonaſt. in hiſt. A.983. apud Bar. t.10. 983. 25.*

Opportunè adjiciendum, quod de Alarico Gothorum Duce ſcribit Paul. Diac. Is dum jam trajicere in Siciliam exercitum fruſtra tentaret, & inopinatas ſe poſſidere divitias gloriaretur, apud Conſentiæ regionem ſubita morte defungitur. Gothi verò protinùs Baſentium amnem à ſuo alveo per alium tramitem captivorum labore deflectunt: ſicque Alaricum cum multis opibus in eodem alveo aqua deficiente ſepeliunt; rurſumque fluvium proprio meatui juxta conſuetudinem reddunt: ac ne quis addiſcere locum poſſet, captivos omnes, qui interfuerant, extinxerunt. *Paul. Diac. l.13. hiſt. Miſcell. apud Bar. 411. & Petr. Dam. apud eundem 1062.* E

A. 1198. Richardus Rex Ang. audiēs, quendā militē Lemovicēſis diœceſ. in ſuo caſtro theſaurū magnū reperiſſe, cupiēs theſaurū habere, dictum militē à Vicecomite Lemovicēſi, ad quē confugerat pro ſecuritate, repetebat. Sed dum ille renueret, in prædicto caſtro illū obſedit. Cumq; die noctuq; caſtrū illud fortiter impugnaret, ſagitta percuſſus, poſt paucos dies moritur, atque apud fontem Ebrodi ſepelitur. Et quia liberos non habebat, frater ſuus Joannes, dictus ſine terra, ſucceſſit ei in regno. Et paulò poſt factæ ſunt treugæ inter illum & reg. Franciæ, ſecuta pace. *Io. Naucl. Chron. vol.2. Gen.40. a.1298.* F

Huic non abſimile refert *Greg. Tur. l.1. de Glor. Mar. c.109.* accidiſſe in Gallis: Mulier quædā, inquit, ſub ſpecie religionis vacabat jejuniis, orationibus inſiſtebat, vigilabat pertinaciter ac loca ſancta devotione ſimulata circuibat aſſiduè. Cumque in hoc colore juſtæ vitæ duraret, immenſas opes à multis ſuſcipiebat, congregabat aurū quotidiè, & quod devotio Chriſtiana pro redimendis porrigebat captivis, loculis addebatur occultis, & quæ dabantur inopum neceſſitatibus profutura, iniquis marſupiis condebantur: nam effoſſa mulier humo in medio cellulæ ollam immenſam impoſuit: ibique, cū aliquid datū fuiſſet, recondebat diligēter, & lapide ſuperpoſito claudens, ut nulli pateret occultū. O terque quaterque, & obiter execranda cupiditas, quæ luce fraudans, homines demergis in tenebras! Quid plura? Cū olla impleta fuiſſet nummis, huic mulieri tempus reſolutionis advenit. Mortua verò Deo migrans, in inferno ſepulta eſt, poſt cujus exequias ſacerdotes, qui aderant, puellā ejus familiarem interrogant, quid de tanta feciſſet pecunia, aut ſi eā erogandā tēporis ſui permiſit ſpatiū. At illa reſpondit, nunquā ſe vidiſſe, quæ ulli inopū manu miſericordiæ porrexiſſet: aut quò pecunia data deveniſſet, ignorare ſe confitetur. Unū tantū ſcio, ait, quòd in cellula deportatum, regreſſum foras ultra non vidi. Hæc audientes clerici ſtupent, & quid ex hoc factū fuiſſet, diligēter inquirunt, totūque crebris ictibus pavimentū tūdētibus, locus, in quo occulta jacebat pecunia, tinnitum dedit impulſus, cavoq; reſonans prodit, quæ latebant: & ſtatim remoto lapide invenitur auri congeries: & clerici ſtupentes tantæ ſubtilitatis perverſitatē, Epiſcopo, quid actū fuerat, indicāt. Ille verò commotus, juſſit reſerato ſepulchro pecuniā ſuper corpus exanime projici, dicens: Sint tua tibi, quæ congregaſti: pauperibus verò Chriſti non deerit, unde ſuſtententur. Nec mora: cū prima quies nocturno tempore data fuiſſet, audiuntur voces à tumulo, fletus & ululatus immenſus: inter quas voces hoc maximè reſonabat, ſe miſerā, ſe infelicē, quæ auri cōſumebatur incendio. Deniq; cum per triduū hę voces adveniente nocte reſonarēt, populis non durantibus, ad ſacerdotē venitur. At ille accedens jubet tumuli opertorium amoveri: ſubmotoque videt aurum quaſi in fornace reſolutum, in os mulieris ingredi cum flamma ſulphurea. Tunc ſacerdos oravit ad Dominum, ut quia malitia ejus populis fuerat declarata, tandem Dominus pœ- H nam juberet ceſſare à corpore, & operto tumulo diſceſſit, voceſque mulieris ampliùs non ſunt auditæ.

Hìc minimè ſilēdū, quod cuidā contigit, qui per adulterina lucra ſtuduit multiplicare terrena, de quo ſic *Greg.* Quidam apud Lugdunenſē urbē vix ita laborans, ut unū trientē poſſet habere, accenſus auri execrabilis ſacra fame, voluit per eum ſacculi ora replere, juxta illum Prudentii noſtri verſiculum:

Auri namque fames parto conquiritur auro.

Igitur de hoc triēte vinū comparat, admixtiiq; aquis iterū per argēteos venūdās duplicat pecuniā. Hoc iterū, atq; iterū agit, & tādiu turpi lucri ſecutor eſt factus, uſquequò centū ſolidos de hoc triente lucraretur: ſed judiciū Dei cōfutavit lucra diaboli. Cōgerens. n. avarus negotiator aurū in ſacculū, poſſeſſurus pecuniā unius horæ momento, alterius negotiatoris nūdinas adit; extractoq; triēte, quaſi aliquid negotiaturus, colloqui cū ſocio cœpit. Erat autē ſacculus ex pelle phœnicia, ſicut his manibus geſtare mos eſt. Et ecce ſub. advenies Milvus rapit eū pedib. atq; decerpere tētat, putās à colore partē aliquā carnis eſſe. Sed cū nihil pinguedinis ſētiret in eo, evolās ſuper

A alveum Araris, de quo hic aquas hauriens vino miſcuerat, laxatum ſacculum dejicit in flumen. At ille apprehenſis capillis elidens ad terram, ſpargenſque pulverem ſuper caput ajebat: Væ mihi, qui judicio Dei oppreſſus, perdidi pecuniam, quæ iniquè fuerat aggregata. Nam ex uno triente centum erexi ſolidos. Nunc perditis centum ſolidis, unum tantùm mihi remanſit triens. Væ mihi, ſicut feci, ſic recepi: & qui nihilo eos habui, ad nihilum rediiſſe conſpicio. Talis pecunia diabole tua eſt, per tale lucrum deduxiſti Deo inobedientes in tartarum. Tale enim commercium & in præſenti damni notam ingerit, & in futuro diverſarum pœnarum genera parit. *Idem ibib. de Glor. confeſſ. c.109.*

Michael ab Iſſelt refert (*l.1. Mercurii Gallo-belgici*) panes ſecundarios à quodam tenaciſſimo Euclione propè Rodopolin furno immiſſos, palaque rurſum extractos, ſanguinem miraculosè lachrymaſſe, & paulatim in cineres reſolutos fuiſſe. An. 1588.

Juſtiniano minori (vel Juſtino) Imp. ut etiam paulò ante dictum eſt, tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas ciſtaſ- B queferreas juberet fieri, & in palatio poni, in quibus ea quæcunque rapiebat auri talenta congregaret: ideò improvisò cum morbi ſignum nullum proceſſiſſet, amiſſo rationis intellectu amens effectus eſt. Atque hæc imperatoris inſania erat tanta, ut unus idemque dies & vitam & amentiam tandem finiverit. Nam morbos quos principibus Deus immittit, non ex humorum intemperie, ſed ex morum pravitate ortos, nec medicus ullus curare, nec medicamentum ullum tollere poteſt. *Paul. Diac.*

Avarus quiſpiam pecuniæ amantiſſimus, poſtquam plurimas divitias congregaſſet, & de iis nihil pauperibus unquam diſperſiſſet, aut aliis pietatis officiis impendiſſet, ſubita morte raptus eſt. Cadavere autem ejus à parentibus & amicis præſentibus aperto, ut ab iis deſpiceretur, quænam tam repentinæ mortis cauſa fuiſſet, cor in eo non fuit inventum. Unde admiratione rapti ſinguli adjerunt ad mortui cubiculum, ubi theſaurus ejus erat: atque ciſta aperta, cor hominis inveniunt inter manus dæmonis, qui inſtar draconis ſuper hoc ſedebat, ac in varias partes diſcerpebat: dixitque aſtantibus: Hoc aurum & argentum pretium eſt cordis, C quod mihi vendidit amicus veſter; ideòque jure meum eſt, eoque pro arbitrio uti poſſum. *Gabriel Incino Con. Lat. Ecc. ſerm.1. de puritate cordis ex Proſp. l.3. de dono tim.*

Cum aliquando *B. Ambr.* Romam proficiſceretur, atque in Hetruria à Prædivite fuiſſet hoſpitio exceptus, jactabat ille divitias, familiam, filios, ac proſpera omnia, nihilque ſibi accidiſſe infœliciter. Id animadvertens Ambroſius, diſceſſum accelerandum inſtituit, quòd tanta proſperarum rerum affluentia exitum longè infeliciſſimum habitura foret. Hortatus igitur ſuos eſt, inde mox omnes ſecum abſcederent, ne iræ Dei furorem experirentur. Abeuntibus omnibus, mox hoſpes cum reliqua familia, domoque omni hiatu patente abſorpti ſunt. *D. Antonin. 2.p. Chr. tit.10. c.7. §.2. Marc. Marul. l.5. c.3. Bonſignor. Cacciaguerra lib. de tribul. c.4.*

☞ *Pete nonnulla ex ſuperiori Tit. Avaritiæ fructus. Item multa ex profeſſo ex loco de Pœna & Punitione.*

HIEROGLYPHICUM.

Sunt, qui per *manus & brachia* Hieroglyphicè avaritiam deſignent, atque interpretamentum hujuſmodi ex carmine D Theocritiano mutuentur:

Νενίκεται δ' ὑπὸ κερδέων, πᾶς ὑπὸ κολπῷ χεῖρας ἔχων.

Neque deſunt qui manum tantum ſiniſtram digitis compreſſis, pro tenacitate & avaritia pingant. Nam & conjectores lævam lucri & augendæ rei ſignum ponunt, quippè quæ ad cuſtodiendum magis idonea ſit, ut potè ſegnior, & tenacitati accommodatior. *Pier. Valer. l.35.*

Auctoritas, ſive Authoritas.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

AUctoritas, vel ut alii Authoritas, utrovis enim modo ſcribitur, priori, ut deducitur ab Augeo, poſteriori verò, ut venit à Græco αὐτουργὸς; eſt eminentia quædam, vitæ probitate, ſcientia, meritis, potentia, honore, aliiſque rebus laudabilibus comparata, quæ facit, ut dictis alicujus factiſque plurimùm deferamus. Dicitur Græcè τὸ κῦρος, ἡ πίστις, τὸ ἀξιωματικὸν, Hebraicè *lecholeth*, à *lachol*, potuit, prævaluit. Hinc Authorem ſive Auctorem dicimus, quaſi operis cujuſpiam factorem. *Valla. l.4. c.32. & l.5. c.30.* Non ſolùm qui opus facit, inquit, ſed qui princeps eſt, & primus jubet, ut aliquid fiat, aut inductor ſuaſorque, Author E appellatur. Is etiam, in quo eſt jus, poteſtas, dignitas, nec ab alio pendet, Author dici poteſt, à quo & Authoritatis nomen deſcendit, quo frequenter utuntur Scriptores.

Inducitur apud *Euripid.* Hecuba ita loquens ad Ulyſſem:

Τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν,
Πείσει. λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
Κἂν τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταυτὸν σθένει. id eſt,
Authoritas vero, & ſi male dicas, tua
Perſuadebit. Nam ab inexiſtimatis proficiſcens oratio,
Et ab exiſtimatis eadem haudquaquam tantum valet.

AUCTORITAS, EXISTIMATIO. HONOR auctoritatem conſequens.

AUTHORITATIS EFFECTUS & VIS.

* EXEMPLA, ET VETERUM APOPHTHEGMATA.

Pericles à populo frequenter vocatus, ἀσύντακτός εἰμι, inquit, ſentiens, ſe non eſſe cogendum in ordinem, nec pro quolibet è media plebe habendum. *Plut. in Græc. Apoph.*

Idem cum in comitiis accuſaretur ob res malè geſtas, graviter reſpondit, ſcilicet, Mihi quidem vos iraſcimini, ei viro, qui nemini veſtrum cedo vel peritia rerum, vel elo- F cutione intellectorum, vel amore patriæ, vel pecuniæ deſpicientia. Non crimen modò arrogantiæ, varietatis, ambitionis effugit tunc magnificè de ſe loquendo, ſed & altitudinem animi, & virtutis declaravit magnitudinem, eo ipſo invidiam opprimentis, quòd dejici & frangi non eſt paſſa. *Plut. lib. Qua ratione quis citra invidiam ſe ipſum laudare poſſit.*

Pelopidam à principibus Reipub. accuſatum, quòd exacto Bæotarchiæ tempore non ſtatim domum rediiſſet, ſed bellum feliciter continuaſſet, ſubmittentem ſe & deprecantem Thebani ægrè abſolverunt. At contra *Epaminondam*, qui ejus tum fuerat collega, multa de rebus ſuis geſtis magnificè prædicantem, ac dicentem, Paratus ſum mori, ſi fateri velitis, ò cives, me vobis invitis Laconiam vaſtaſſe, Meſſenem inſtauraſſe, & Arcades in unum corpus conduxiſſe: non ſuſtinuerunt iiſdem ire in ſuffragia, ſed admiratione viri gaudio ſimul riſuque oborto diſceſſerunt. *Plut. eod. lib.*

Romani ægrè tulerunt Ciceronem crebrò res ſuas contra Catilinam geſtas prædicantem: iiſdem tamen Scipionem dicentem; Non debetis vos ſententiam de Scipione ferre, G qui vobis poteſtatem decernendi de omnibus hominibus paravit: coronati in Capitolium deduxerunt, ſacrificioque ejus interfuerunt? *Plut.*

Lycurgus *Athemenſis*, quum ei publicè exprobaretur, quòd argento dato calumniatorem placaſſet: Qualis tandem, inquit, vobis videor civis, qui apud vos tanto tempore rem gerens publicam, dare potiùs quàm accipere injuſtè deprehenſus ſum. *Plut.*

M. Scaurus, pro roſtris accuſatus, quòd à Rege Mithridate ad prodendam Remp. pecuniam accepiſſet, ita cauſam egit: Iniquum eſt, Quirites, inter alios me rationem vitæ reddere. Sed tamen audebo vos interrogare. Varius Sucronenſis ait, M. Æmilium Scaurum mercede corruptum, populum prodidiſſe: M. Æmilius Scaurus huic culpæ ſe affinem eſſe negat: utri creditis? Nominato tantum auctore & reo, populus accuſationem repulit. *Eraſm. l.6. apoph. ex Plin. cap.12. de viris illuſtrab.*

Cato *Vticenſis* in forum veniens cum Thermo, ac conſpicatus Caſtoris templum armatis occupatum, omneſque fori aditus a gladiatoribus obſideri, ipſumque Metellum unà H cum Cæſare: O timidum, inquit, hominem, qui adverſus unum tantam armavit multitudinem. *Plut. in ejus vita.*

Auguſtus indignè ferebat, aliquid de ſe componi, niſi ſeriò & à præſtantiſſimis: admonebatque prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus minorum, aut hiſtrionum obſoleſieri: hac quidem in parte Alexandrum M. referens. Decet enim ubique principis authoritatem ſartam tectam præſtare. *Eraſm. l.4. apoph. ex Suet.*

Idem, cum juvenes nobiles, ac dignitate claros tumultuantes vellet compeſcere, nec auſcultarent illi, ſed tumultuari pergerent: Audite, inquit, juvenes ſenem, quem juvenem ſenes audierunt: Auguſtus enim adoleſcens ad Remp. admotus eſt, ſummaque fuit authoritate: hac ſola voce illos coercuit, nec aliud ſupplicium ob concitatum tumultum exegit. *Plut. Rom. Apoph.*

Cic. Metello objicienti, Plures ipſo teſtimonium contra eos dicente damnatos, quàm defendente abſolutos eſſe: Quis verò, inquit, non hoc dicit, plus in me fidei eſſe, quàm eloquentiæ? *Plut.*

A Quum milites Baſſianum Severi filium (qui poſt Antonius Caracalla dictus eſt) Auguſtum conſalutaſſent, eò quòd pater pedibus æger bellum moraretur, juſſit ſe ferri ad tribunal, ſimulque adeſſe omnes tribunos, centuriones, duces & cohortes, quibus authoribus hoc acciderat, ſiſti deinde & filium, qui Auguſti nomen non recuſarat. Hìc cum in omnes ejus facti authores juſſiſſet animadverti, excepto filio omneſque ante tribunal proſtrati rogarent veniam: Severus manu caput contingens: Tandem (inquit) ſenties caput imperare, non pedes. *Ælian. Spart.*

QUI IN AUCTORITATE ET EXISTIMATIONE FUERUNT.

Sacri homines.

☞ *Vide Tit. Excommunicationis, quatenus excommunicati ſanctorum hominum interdicto ſe ſubmittunt.*

Phariſæi apud Judæos magnam ſibi auctoritatem paraverunt apud populum, ita ut quicquid ad ſolemnes precationes ac cultum divinum attinet, juxta horum interpretationem ac præſcriptum ſoleret fieri: Tantum habebant à civitatibus ſapientiæ, temperantiæ, & vitæ honeſtioris teſti- B monium. *Joſeph. l.18. c.2. Antiq.*

Ambroſius Mediolan. Epiſc. tantæ apud omnes auctoritatis fuit, ut ne hoſtes quidem eum vel lædere, vel reprehendere auderent. Ipſe quinetiam Pelagius nihil in illius libris quod reprehendi poſſet, eſſe dixit. *Aug. l.4. c.11. Confeſſ.*

Leo III. Papa Attilam Hunnorum regem, ad urbis direptionem properantem, cum altero Conſulum & parte Senatus non modica ei occurrens, ita flexit, ut præter omnium expectationem, & exercitus ſui voluntatem, urbi parceret. Idem poſt Vandalorum regem Genſericum crudeliſſimum tyrannum ad urbem vocatum ab Eudoxia, in ultionem perempti conjugis Valentiniani, ita demulſit, ut ſpoliis & direptionibus contentus, à cædibus & incendiis abſtineret. *Plut. in Leone, & Sab. l.1. En.8.*

Severinus monachus Afer, qui apud Noricos & Vindelicos Chriſtum prædicavit, poſt mortem Attilæ, cum Hibuldus Alemannorum Rex cum exercitu Bataviam properaret, ſpecie viſendi Severini, revera autem occupandæ urbis gratia, obviam regi proceſſit, cumque auctoritate ſua permovit, ut ab incepto deſiſteret. Paruit ei Rex Bar- C barus, & captivos omnes Romanis remiſit. Ad eum quoque Odacer Rugorum regulus venerabundus venit, cui Italiæ regnum prædixit, & Romæ excidium. *Phriſing. l.4. c.30. & Eugyptus.*

Epiphanius Epiſc. Ticinenſis, tanta fuit auctoritate apud hoſtes, ut cum Theodericus Gothorum Rex, capto Ticino præſidium impoſuiſſet, Barbari milites eum patris loco venerarentur: & urbe egredientes, ei cum lachrymis valedicerent. Præterea capto ab Odoacre rege Herulorum Ticino, à victore rege civibus ſuis fiſcalium tributorum immunitatem impetravit ad annos quinque. A Theodorico duriſſimæ legis in omnes, quotquot ſponte ſe hoſtibus Herulis, conjunxerant, latæ, relaxationem impetravit. Ad Gundebaudum regem Galliæ Lugdunum à Theodorico miſſus pro captivis redimendis, ſex millia Ligurum ſine pretio, precibus tantùm & pietate ſibi donatos, patriæ reſtituit. *Evodius in ejus vita.*

D. Remigii Remenſis Epiſcopi tanta fuit etiam apud hoſtes auctoritas, ut Alaricus Gothus Rex Arianus apud eum pro puella cujuſdam ſui aulici dæmoniaca intercederet: & D Clodoveus Rex Gallorum adhuc paganus cum toto exercitu eum veneraretur. Nam cùm miles quidam urnam ex Remenſi Eccleſia abſtuliſſet, ad preces Remigii Rex eam reddi juſſit: cumque alter non ſtatim paruiſſet, ſupplicium propria manu de eo ſumpſit. *Hincmarus in vita Remigii.*

D. Bernardum omnes cum timore & amore quodam venerabantur, ſuum ſenſum ejus intelligentiæ ſubmittentes. Stampis in Galliis Concilio convocato ad ſedandum ſchiſma inter Innocentium II. & Petrum Leonis, qui ſe Anacletum vocavit, cauſæ cognitio tota ad illum rejecta eſt. Perſuaſit is toti Concilio, ut reciperent Innocentium, item Henrico Angliæ regi, qui Innocentio erat iniquior. Mediolanenſes omnia illa, quæ tetigiſſet, ſancta arbitrabantur: vellicabant pilos, quos poterant, de veſtimentis ejus, & ad curandos morbos illis utebantur. *Author vitæ l.2. c.11. & l.2. c.1. & 2.*

Fridericus frater Godofredi Cardinalis, miſſus à Papa legatus Conſtantinopolim, indicta ibi Synodo, cum Imper. Conſtantinopolitanus & Patriarcha eidem obtemperare dedignarentur: egreſſus urbe Fridericus, ſandalia ſua more Apoſtolorum publicè ſuper eos excuſſit. Quo quidem facto E tantum terrorem omnibus Conſtantinopolitanis incuſſit, ut Imperator & Patriarcha cum clero & populo, ſequenti die ſacco & cinere obvoluti ad eum venirent, & Apoſtolicam auctoritatem in eo proni adorarint. *Henric. de Erford.*

Jo. Medices Cardinalis, Julii II. Papæ legatus, in pugna ad Ravennam an. 1512. captivus factus, Mediolanum ductus, honeſtè cuſtodiebatur. Cui cùm pontifex facultatem miſiſſet, qua poſſet milites, qui ſe non ampliùs adverſus Pontificatum armis ituros pollicerentur, à cenſuris eximere: & omnibus defunctis, pro quibus peterentur, ſacra loca ad ſepeliendum concedere: incredibilis erat concurſus, miraque religio, qua hæc & petebantur & promittebantur, regiis miniſtris minimè repugnantibus, ſed Cardinalibus graviſſimè indignantibus, quòd ante ipſorum oculos, in eo ipſo loco, ubi ſedes concilii Piſani eſſet, regii homines & milites, contra ipſius dignitatem utilitatemque, in ipſos oppido, concilii auctoritate penitùs contempta, Eccleſiæ Romanæ adhærerent, captivum Cardinalem, velut Pontificum legatum, ſumma veneratione proſequentes. *Guicciar. l.10.*

In Æthiopia, qui in Meroe ſunt circa Deorum ſacra cul- F tumque occupati Sacerdotes, tanta pollent apud omnes auctoritate, ut ſi regibus mortem nuncient, ſtatim ſua ſponte eandem oppetant. *Diod. Sicul.*

Prophetæ, Vates.

Hieremias Propheta in tanta fuit exiſtimatione etiam apud hoſtes Babylonios, ut ex regis Nabuchodonoſoris juſſu Nabuzardam magiſter equitum cum magnis præmiis Babylonem pellicere voluerit, quem alioqui nunquam adducere poterat. At cùm apud reliquias Judæorum manere vellet, liberum hoc ei permiſit, eique Baruch ſcribam diſcipulum adjunxit, & amplis muneribus ornavit. *Joſeph. l.10. c.9. Antiq.*

Eſdras inter homines Hebraici ſanguinis in Aſſyria agentes prudentiſſimus, qui Moſaicas leges vel hominum incuria vel injuria temporum propèmodum deperditas, quia omnia memoria teneret, literarum monumentis reſtituit: ob celebrem ſapientiæ, & ſanctitatis famam regi Xerxi non ignotus, facilè ab eo impetravit, ut ex Babylone populares ſuos ſecum migrare volentes, in Palæſtinam duceret. *Sab. l.3. En.3.* G

Duos tantùm, ut aliqui volunt, ex omnibus hominibus dicuntur Spartani λεωσφετέρυς feciſſe, hoc eſt, civitate donaſſe, Tiſamenum vatem, ac Hegiam ejuſdem fratrem. *Cæl. l.18. c.5. A. L.*

Reges, Principes, Magiſtratus, clari, honorati.

Majeſtas imperii.

☞ *Majeſtas Magiſtratui, tanquam Deo cuidam terreno, in primis convenit, non tam dignitatis nomine, quàm virtutis, quæ in eo qui aliis præeſt, ſumma eſſe debet, vel reipſa, vel ſaltem opinione.*

Regem Lacedæmoniorum ne hoſtes quidem temerè, cùm occurreret in acie, attingebant; ſed deflectebant, verentes venerantèſque ejus majeſtatem. Itaque multis in conflictibus, quos conſeruerunt cum Græcis Lacedæmonii, unus ante Philippi ævum lancea ictus cecidit in Leuſtris Cleombrotus: Meſſenii autem Theopompum quoque ab Ariſtomene afferentibus cæſum, inficiantur Lacedæmonii, tantummodò ajunt vulneratum. Cæterùm hæc aliquatenùs controverſa ſunt. Lacedæmone verò primus ab Ephoris rex H eſt necatus Agis Eudamiæ: qui egregium factum & Sparta dignum ſuſceperat, Lycurgi ſcilicet leges revocandi, & erat ætate, qua hominibus etiam, qui deliquerint, ignoſcitur. *Plut. in Agide.*

Cùm per legatos Numam Pompilium Sabinum ad regnum pop. Rom. vocaſſet, idque haud ſine difficultate impetraſſet, adeò ſeſe audientem dicto ejus præbuit, ut ipſo regnante nulla unquam ſeditio mota fuerit, nulloſque is corporis cuſtodes habuerit: Urbem quæ Marte orta, Martiaibuſque rebus aucta erat, iiſque etiam alebatur, nominis ſui majeſtate, atque virtute ad religionem anteactæ vitæ prorſus contrariam traxit. *Plut. in Numa.*

M. Antonius Pius Cæſar tantæ auctoritatis apud omnes gentes fuit, ut per tres & xx. annos prorſus ſine ſanguine civili & hoſtili (quod nemini principum contigit) imperaverit. *Avent. l.2. Annal. Bojor. Herodiano.*

Scoti ex Hibernia in Hebrides, ex Hebridibus in Aquilonarem Albionem ductis coloniis, ſingulis tribubus ſingulos Duces præfecere, quorum arbitrio pacis & belli negotia

A permiſere, tanta cum veneratione, ut per Ducis nomen pejerantes, haud ſecus, quàm ſi per Deos pejeraſſent, ſupplicio afficerentur: invocarentque veluti ſanctum, cui numen ineſſet aliquod, in quovis periculo conſtituti. Manſitque in longa ſecula genti inſtitutum. *H. Boeth. l.1.*

Henricus V. Anglorum Rex, facto patris funere, concilium Principum ad Vveſtmonaſterium convocandum curavit, in quo dum de rege creando, more majorum, agitabant, continuò aliquot Principes ultrò in ejus verba jurare cœperunt. Quod benevolentiæ officium nulli anteà, priuſquam Rex renunciatus eſſet, præſtitum conſtat: adeò Henricus ab ineunte ætate ſpem omnibus optimæ indolis fecit. *Polyd. l.22.*

Hungari conſpirantes in Sigiſmundum Imp. cùm aut capturi regem, aut, ſi non ſuccederet, occiſuri, in palatium irruiſſent, videntes regem armatum, & ſingulare certamen non recuſantem, ſtatim ita obſtupuere conjurati, ut ſibi quiſque timens abierit re infecta. *Æn. Sylv. l.3. Comment. de reb. geſtis Alphonſi.*

Poſt Varnenſem victoriam Amurathes II. ſeceſſit in Ma- B miſſam urbem, & illic otio religioſo vacavit, Mahometo F. Calibaſſam tutorem dans, cujus auſpiciis imperium regeretur. Verùm cùm Jo: Huniades Hungariæ Gubernator magno exercitu Turcum clam opprimere cogitaret, apparatus hic à Georgio Serviæ Deſpoto Turcis indicatus eſt. Perculſi nuncio Turci, Amurathem ex Aſia evocant, quod filius tantam belli molem ferre nequiret, Calibaſſa verò ejus magiſter obedientiam militum minimè habiturus eſſet; Janizari enim & puerum & pædagogum pueri contemnebant. A magnatibus igitur & principibus exercitus Amurathes, ne regnum in periculoſiſſimum diſcrimen veniret, minis victus & precibus, ad gubernationem rediit, & cruenta victoria in Campis Caſſoniis potitus eſt. *Cuſp.*

Campani ad Gallorum regem Carolum IIX. defecerant. Neapolitani Ferdinandi regis exercitum recipere renuebant. Multitudo opificum perditorumque hominum ad diripiendum regis ſtabulum, quod arci propè erat conjunctum delata eſt. Ejus fœdi facinoris adeò ingratum graveque regiis oculis ſpectaculum fuit, ut Ferdinandus, cum nobilem ejus loci apparatum diripi, generoſoſque equos ab infimæ C ſortis hominibus trahi cerneret, penè ſolus, & periculi & majeſtatis oblitus in prædatores eruperit. Factumque eſt auguſto ejus conſpectu, ut alii metu pudoreque confuſi, projectis in terram armis, veniam orarent, alii relicta præda diffugerent. *Jov. l.2. Hiſt.*

* Scipio Naſica, vir bonus cognominatus, obſtrepente populo in caritate annonæ, exclamavit: Tacete quæſo, Quirites; plus enim ego, quàm vos, quid Reipub. expediat, intelligo. Cujus auctoritatem omnes veriti, taciti quieverunt. *Franc. Patrit. l.7. de regno tit.9. p.462.*

Duces bellici.

☞ *Ex Tit. Magiſtri diſciplinæ militaris, huc non pauca.*

Moverunt proculdubio Iſraelitas prodigia, quæ in Ægypto facta dicuntur, ut Pharaonis minas, & imperium quadatenus contemnerent. Sed Moyſis auctoritas multò impenſiùs perpulit, ut ſine armis, ſine commeatu per deſerta & diſpendia viarum, ſexcenta millia hominum unum ſint ducem ſecuta, ut cùm certa relinquerentur, quærerentur incerta. Hoc eadem in cauſa fuit, ut tam numeroſa multitudo per medios maris fluctus vadentem ſit intrepidè ſecuta, D leges ferentem audierit, conflatilem vitulum ſuſtulerit, inermis in armatam aciem iverit: in quo aliquid demum eſſe crederet, quod ſupra faſtigium humanitatis eſſet, ſecundum cœli numen præcipuè venerabile. *Sab. l.6. c.8.*

Acceſſit & Joſuæ, qui poſt hunc dux fuit, ſua auctoritas: cujus juſſu circa Jordanem omnis virilis ſtirpis gens circumciſa eſt: eodem auctore xxx. regibus bello victis, æternum obſervationis fœdus cum Deo ſanxerunt Iſraelitæ, omnis Chananæorum terra tributim & viritim victori populo diviſa eſt. *Sab. l.6. c.8.*

Judæ, qui Machabæi cognomen tulit, ductu permodica Hebræorum manus cum validiſſimis hoſtium copiis ſæpiùs conflixit. Quòd niſi egregia ducis auctoritas affuiſſet, nulla ſubjici neceſſitate potuiſſent, ut rebus gentis atrociter afflictis, cum eo hoſte manus conſererent, cui toties cædenda terga obvertiſſent. *Sab. l.6. c.8.*

Syracuſani à Timoleonte Corinthio libertati ſuæ reſtituti, inter cætera gratitudinis officia, etiam iſtud decrevere, impoſterùm non niſi Corinthiis ducibus in bello uſuros. *Plut. in Timoleonte.*

Lacedæmonii non obedientiam, ſed deſiderium infun- E debant aliis Græcis ipſos ſequendi & obtemperandi. Nempè poſtulabant hi per legatos ab ipſis non claſſem, non pecuniam, non copias, ſed unum Spartiatum ducem, quem nacti, utebantur eo cum honore & metu. Ita Gylippo Siculi, Braſida Chalcidenſes: Lyſandro, Callicratida, Ageſilao omnes qui Aſiam incolunt. Appellabant quidem illos viros rectores moderatoreſque populorum & magiſtratuum, ut ad quoſque miſſi erant: cæterùm ſemper civitatem Lacedæmoniorum, ceu magiſtram & præceptricem honeſtæ vitæ & compoſitæ Reip. reſpiciebant. *Plut. in Lycurgo.*

Socii Athenienſium & inſulares, claſſes eorum duce miſſas alio, pro hoſtibus habebant, muros ſepiebant, portus obſtruebant; pecora, ſervitia, conjuges, liberos in urbes ex agris deportabant: Sin imperator Phocion eſſet, navibus ſuis longè occurrebant coronati & gratulabundi, deducebantque eum ad ſe. *Plut. in Phocione.*

In præliis & diſcriminibus, ſicut equi & novelli conſuetum ſeſſorem quærunt, alium ſi vehant, tumultuantur & ferociunt: ita exercitus Achæorum dejiciebat alio duce animum, atque ſolum Philopœmenem circumſpectabat: quo F viſo tantùm, illicò erat ex diffidentia erectus, agiliſque. Nempè hoſtes intelligebant unum hunc contueri non poſſe: ſed & gloriam ejus & nomen, ut reipſa declararunt, formidare. Macedonum rex Philippus, ratus, ſublato de medio Philopœmene Achæos iterùm ipſum reſpecturos, miſit certos occultè Argos, qui eum trucidarent. At detectis inſidiis, planè flagravit invidia, & traductus eſt apud Græcos. Bœotii Megaram obſidentes, cum ſperarent ſe jam oppidum expugnaturos, vano repentè allato rumore, Philopœmenem ſuppetias obſeſſis ferentem adeſſe, ſcalis quæ muris jam erant admotæ relictis, fugæ conſuluerunt. Ut Nabidi tyranno Lacedæmoniorum, qui Meſſenem occuparat, nunciatum eſt, Philopœmenem in proquinquo eſſe, non remanſit illic, quamvis caſtra in oppido haberet; ſed ſubduxit ſe per averſam portam, agmenque raptim abegit: præclarè ſecum agi ratus, ſi elaberetur. *Plut. in Philopœm.*

Habuit ſub ſignis Annibal, cum bellum in Italia geſſit, Aphros, Numidas, Mauros, Hiſpanos, Belleares, Gallos, Ligures, & Italici nominis numerum ingentem: tanta tamen in eo fuit auctoritas, ut nullam in tanta hominum G colluvione, tam longo bello, ac tam varii eventus, ſit ſeditionem expertus. *Sab. l.6. c.8.*

Infamis ante Cannenſem pugnam timiditas Q. Fabii Maximi & ſegnities, mox poſt conflictum humana major ſapientia habita eſt, & divini, præſtantiſque miraculum conſilii, tantò antè proſpicientis inſequentia, quæ animo concipere vix valebant ii, quibus evenerant. Itaque mox in illo civitas reliquam opem ponens, & ad ejus mentem tanquam ad ſacram confugiens anchoram, ſalutem ſuam, & quòd non undequaque diſſiparetur (ſicut urbe à Gallis oppreſſa factum erat) unius acceptum ferebat conſiliis Fabii. *Plut. in Fabio.*

P. Scipio Africanus, qui Annibalem vicit, militarem ſeditionem eſt nonnunquam expertus. Fuit in eo alioqui tanta de ipſius virtute opinio, ut multi Italici nominis, qui jam ſtipendium erant emeriti, ſponte ſecuti ſint illum, Africam provinciam extra ſortem adeptum. *Sab. l.6. c.8.*

Legiſlatores.

☞ *Vide Tit. Legiſlatorum. Illic Profeſſionis, hic Exiſtimationis habetur ratio.* H

Legati.

C. Fabricius Romanorum legatus apud Pyrrhum, de redimendis captivis Romanis, cum neque muneribus expugnari, neque horrendo & inopinato elephanti clamore perterreri, neque tandem Epicureis diſputationibus permoveri poſſet: tantam ſibi apud Pyrrhum conciliavit auctoritatem, ut lubens cum Romanis amicitiam contrahere, captivoſque immunes remittere: ſed & Fabricium inter amicos & duces primum habere voluerit. *Plut. in Pyrrh.*

Judices.

Nullum ſortiri, aut ſubſortiri velle judicem, in reo ſummè diffidentiæ: in accuſatore, calumniæ argumentum omninò certè grave eſt. Atque id vel multis ad damnationem plurimum adjumenti attulit, quòd Catonem eum, qui poſteà Uticenſis appellatus eſt, judicem in cauſa ſua rejeciſſent. Etenim eos innocentes videri non potuiſſe, imò ſatis de ſe confeſſos, qui adeò recti, æqui ac religioſi judicis, virique optimi ac integerrimi judicium recuſaſſent. *Plut. in Catone.*

A *Cenſores.*

Romani domum à cœna revertente Tib. Graccho cenſore, lumina reſtinguebant, ne longiùs, quàm oporteret, conviviis & poculis indulſiſſe viderentur. *Plut. in Tib.*

Patres.

Jacob auctoritatem ſecuti filii, patriis ſedibus penatibuſque relictis, cum tota domo in Ægyptum migravere. *Sab. l.1.c.7.*

David regius Vates maxima apud ſuos auctoritate polluit. Cum enim plures eſſent illi filii natu grandes, legitimèque orti, ipſeque Salomonem minimum natu, & ex aliena conjuge conceptum, regem declaraſſet; tantùm abfuit, ut quiſquam vivo patre ſit aliquid movere auſus, aut ſignum irati animi dederit, ut eo etiam defuncto, regium nomen cum ipſo regno inoffenſum illi manſerit. *Sab. l.1.c.7.*

Matronæ.

Livius ſcribit, Hiſpulam ſcortum Romæ nobile, à Sulpitia Paterculi F. Ful. Flacci uxore accerſitam, propè exanimatam fuiſſe, quòd tam gravem eſſet fœminam conventura. Ita debent dignitatem ſuam tueri matronæ, ut pudeat improbas vel illas aſpicere. *Lud. Viv. de Chriſt. fœm. l.2.*
B

Rhetores.

☞ *Hic honores Rhetoribus tributos propter artis excellentiam conſideramus, ſuo loco de Rhetorum cultu acturi.*

Nomen Demoſthenis ad regem uſque Perſarum perlatum eſt, qui per literas ſatrapis imperavit, pecuniam ut darent Demoſtheni, atque conſiliis ejus præ omnibus Græcis obtemperarent, quòd tumultibus Græcorum diſtinere Macedonem, & involvere valeret. Comperit hæc poſteà Alexander: qui epiſtolas quaſdam Demoſthenis, & Sardibus invenit ducum regiorum monumenta, quibus exprimebatur pecuniæ ei datæ ſumma. *Plut. in Demoſthene.*

Longino Caſſio rhetori tantùm tribuit ſua ætas, ut ſi quis vetuſtum auctorem aliqua in parte reprehendiſſet, non priùs rata haberetur opinio, quàm Longini illud confirmaſſet judicium. *Eunap. in Porphyr.*

Poetæ.

☞ *Vide Tit. Poeticum ſtudium.*

Homeri tanta exiſtimatio fuit olim, ut illius verſibus civitates inter ſe de finibus contendentes, tanquam incorru-
C ptiſſimi & ſanctiſſimi teſtis uti non vererentur. Ætoli Caſytonem obtinuerunt ab Ætolibus, quoniam in Catalogo navium Homerus Calydoniorum ſub Ætolis meminiſſet. Similiter Abydeni Seſtum ab Athenienſibus receperunt, propter hunc verſum:

Καὶ Σηστὸν ἠδ᾽ Ἄβυδον ἔχον, καὶ δῖαν Ἀρίσβην.

Mileſiis cum Priennenſibus de Micale contendentibus, patrocinio fuerunt Homerici verſus:

Οἳ δ᾽ Μίλητον ἔχον φθειρῶν τ᾽ ὄρος ἀκριτόφυλλον
Μαιάνδρου τε ῥοάς, Μυκάλης τ᾽ αἰπεινὰ κάρηνα.

Solon denique Athenienſibus Salaminem adjudicavit, quòd Ajax Salaminiorum dux, Athenienſes, teſte Homero, ſecutus eſſet. *Euſtach. Iliad. β.* ubi & hoc addit: legibus ſancitum fuiſſe quibuſdam civitatibus, uti Homeri Bœotiam: hoc eſt, Catalogum navium pueri memoriæ commendarent, & inter eos Cerdiam quendam hoc patriæ ſuæ conſuluiſſe ſcribit. Homerum enim veras genealogias & chorographias, & priſcas maximè urbium appellationes ſequi. Eoque factum, ut & Apollodorus *Athenien. 12. lib. & Menogenes 23. Comment. in Bœot.* ſcripſerint: Auctoritate
D Homeri teſtimonii loco utitur Philomelus Phocenſis.

Tyrteum poetam Lacedæmonii civitate donarunt, contra inſtituta majorum: quod ideò factum Pauſanias ait, ne quando illis objici poſſet, quòd peregrino duce uſi fuiſſent. *Alex. l.4.c.10.*

Sciverat pop. Athenienſis, ut ſolius Æſchyli fabulæ poſt ejus mortem referrentur. Hinc falſum illud Æſchyli dictum, cum Euripide ſimul mortuam tragœdiam: quòd eo mortuo tragœdiæ illius non recitarentur, ſed ſuæ tantùm. *Scalig. l.3. c.97. Poet.*

* Nec iniquo animo tulit Julius Cæſ. cùm in collegium Poetarum acceſſiſſet, quòd Accius Poeta ei non aſſurrexit. Notat enim, illum non contemptu majeſtatis id feciſſe, ſed fiducia quadam ſui ipſius, qua putabat ſe in Poetarum ſtudiis antecellere.

* Magna fiducia in Alexandrum aliquando uſus Apelles. Nam cum ſæpè in ejus officinam accederet, plerumque de pictura imperitè dicebat. Cui artifex ſilentium comiter indicebat: rideri enim eum ajebat à pueris, qui colores tererent. Ferebat ea Alexander æquo animo; tantum auctoritatis ac juris huic pictori tribuebat. *Franc. Patrit. l. 7. de regno tit. 9. p. 463.* E

* Agebatur Athenis Euripidis Tragœdia quædam: ex qua cives omnes majorem in modum rogabant, ut ſententia quædam, quæ importuna eis eſſe videbatur, tolleretur. Tunc Euripides ſubitò progreſſus in ſcenam, ait, ſe, ut populum doceret, Tragœdias dare, non autem ut ab eo doceretur. Cujus dicto omnes auſcultantes, placidè ac quietè ſpectaverunt, nec auſus eſt quiſquam in poetam illum muſſitare. *Idem ibid.*

Theologi.

Decertarant longo difficilique inter ſe bello Veneti, & Franciſcus Sfortia Mediolan. dux: quos ad ineundam pacem, neque Pontif. Max. auctoritas, neque Regum Principumque Italiæ preces flectere unquam potuere: cùm Simonetus Camerinas, ex Eremitica familia, Sfortiæ duci familiaris & notus, & Venetiis quandoque commoratus, negotium hoc ſuſcepit. Erat autem hic propter vitæ ſanctitatem in ſummo cultu & veneratione. Venetiis igitur ſolvens, Mediolanumque profectus, tentato priùs Sfortiæ ducis animo, cui ille negare nihil eſt auſus, ſtatim Venetias F rediit, adeòque Principe & patribus facilè perſuaſis, pax inter eos inita eſt. Unde hodie cœnobium in ſtagnis Muriacum petentibus extat, D. Chriſtophoro dicatum, perpetuoque Pacis nomine dignum. *Egnat. & Fulg. l.1.c.5.*

Philoſophi.

Leo Byzantinus, auditor Platonis, Philippo contra Byzantium venienti occurrens: Dic, age, inquit, Philippe, quæ te cauſa trahit oppugnatum noſtra mœnia? At ille: Amor, inquit, tuæ patriæ, qua ut potiar, veni. Leo excipiens: Atqui, reſpondit, non inſtrumento bellico, ſed muſico amantibus eſt opus. Quo dicto ducem à Bello Byzantino avertit: cùm Demoſthenes multa ſupra hoc apud Athenienſes, Leo verò pauca apud Philippum verba feciſſet. *Philoſtr.*

Crates Thebanus philoſophus Demetrium Poliorcetem ſua auctoritate ab obſidione patriæ removit. *Plut.*

Aſtrologi.

Magis, qui Judæorum regem ex Oriente adoraturi vene- G rant, tantum fidei ob diſciplinam aſtronomicam datum fuit, ut & Herodes, & tota Hieroſolymorum urbs commoveretur, regemque novum cervicibus ſuis imminere expaveſceret. Viciſſim Magi, quia Principum religionis Judaicæ ſapientiæ plurimùm tribuebant, illorum auctoritatem ſecuti ſunt, & Bethleemam profecti, ut puerum Jeſum adorarent.

Medici.

Ammianus Marcellinus auctor eſt, Medicis ad commendandam artis auctoritatem ſuffeciſſe, ſi dicerent ſe Alexandriæ eruditos. Tanta erat loci dignitas & æſtimatio.

Galenus non impoſturis, aut ſophiſmatibus, ut alii, ſed juſtis operibus artis inter Principes Romę innotuit primùm & apud ipſos deinde aliquot Imperatores quoque ſingulari in pretio fuit: & adeò ut theriacæ, cujus magnum apud eos ſtudium fuit, & quod non niſi ſummis aulæ Medicis committere conſueverant, præparandæ curam ſoli Galeno mandarent. Ac primùm quidem Antoninus, cui hanc antidotum Demetrius primarius Medicus conficere ſolitus fuerat, cognito, Galenum Demetrio antidotum paranti ſem- H per aſtitiſſe, poſt hujus mortem à Galeno eam componi voluit. Medici quinetiam eruditi Romæ habitantes (fece indoctorum excepta) & in oppidis vicinis, familiaritatem ejus & ex doctrina fructum vehementer expetebant: deque omnibus, quæ rariùs, aut præter opinionem incidiſſent, cum eo communicare, ejuſque judicium & conſilium quàm libentiſſimè audire ſolebant. Sed & procul ab eo, totiſque regionibus remoti, conſilia ejus per literas requirebant. Itaque ex Iberia, Celtica, Aſia, Thracia, aliiſque locis frequentes ad ipſum literæ perferebantur: tanta ejus nominis celebritas erat. In convivio illo celebratiſſimo, quod Athenæus Dipnoſophiſtarum titulo deſcripſit, tres Medici aderant, Galenus, Ruffinus Nicaenſis, & Daphnus Epheſius. Doctiſſimorum hominum ſcholæ, relictis ſectarum nugamentis, veram Hippocratis artem, à Galeno ita ſtabilitam, ut nulla ſophiſtarum injuria ſubverti poſſet, amplexi ſunt. Arabes certè monumenta ejus univerſa in ſuam linguā converterunt, & in manibus magno ſtudio verſarunt, donec injuria temporum ſuppreſſis Gręcorum exemplaribus Latinorum quoque hominum ſcolis interpretationes ſuas commodarent. Averroes quinto Colliget capite de Punicis granis, Galenum experientia præcellentem prædicat, ac veridicum in primis, ut cui comparari non poſſit alius, nec forſan is, inquit, qui clamat quidem, ſed quid clamat, non percipit ſatis, Avicennam (ut videtur) notans. Alibi quoque Galenum cum Hippocrate primum in arte facit. *In vita illius.*

A

Mulieres.

Fœminæ à Clitis in Senatum honoris ergò adſcitæ, eò quòd civili bello earum oratione lachrymiſque permoti, depoſitis ſimultatibus in gratiam redierint. *Fulg. l.5.c.2.*

Pueri.

Cum eſſet Sylla certamen ſacrum equeſtre puerorum, quam Trojam nominant, editurus, & contractis nobilibus pueris duos deſignaſſet duces eorum, quorum pueri alterum matris cauſa acceperunt (nam Metellæ erat uxoris Syllæ filius) alterum non admiſerunt, quamvis Pompeji fratris filius eſſet, Sextus nomine, neque exercere ſe ſub eo, neque ſequi eum ſuſtinuerunt. Percunctante Sylla, quem vellent,
B omnes alta voce poſtularunt Catonem, ſubmittenſque ſe ipſe Sextus, Catoni id decus conceſſit, ut præſtantiori. *Plut. in Catone.*

IN QUA EXISTIMATIONE. Puta

Sapientiæ.

Oraculorum ſocietatem dedere Chiloni Lacedæmonio homines, tria præcepta ejus Delphis conſecrando aureis literis, quæ ſunt hæc: Noſſe ſe quemque, & nihil nimium cupere, comitemque æris alieni atque litis eſſe miſeriam. Quin & funus ejus, cum victore filio Olympiæ expiraſſet gaudio, tota Græcia proſecuta eſt. *Plin. l.7. c.32.*

Tantùm honoris antiquitas habuit Homero, quemadmodùm teſtatur Macrobius, ut ſinguli penè verſus illius proverbii vice celebrarentur. *Eraſm. in Adag.*

Pythagoricos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, quum ex his quæreretur, quare ita? reſpondere ſolitos. Ipſe dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas. *Eraſm. in Adag. ex Cicer.*

Sanctimoniæ, Pietatis.

C Mavvia Saracenorum regina cum frequentibus præliis Romanos attriviſſet, pace per legationem orata, ea conditione ſe belli finem facturam promiſit, ſi Saracenus monachus Moſes nomine genti ſuæ Epiſcopus præficeretur: qui propter religionem ac fidem, multaque admiranda opera clarus erat. Conditionem eam Romani duces ad Imperatorem Valentem referunt: qui quæri illicò Moſen juſſit, & Epiſcopum ordinari. Profectus ergo ad Saracenos, Chriſti fidem apud eos feliciſſimè propagavit. *Ruffin. l.2. cap. 8. Socrat. l.4. c.36. Theod. l.4. c.23. Sozom. l.6. c.58.*

Pulſus à Romanis ſeditioſis, quorum principes erant Paſchalis Primiſerius & Campulus ſacellanus, Leo III. Pp. ad Carolum M. in Franciam profugit. Cujus interceſſione reductus primùm honorificè per legatos: mox verò cùm Carolus ipſemet Romam veniſſet, & inimici Leonis criminibus inferendis accuſationem peregiſſent, ac plerique apparatam Leonis defenſionem erecto animo expectarent: conſurrexere Epiſcopi, ac cauſæ pontificiæ cognitionem dixerunt, non Epiſcopis, ſed ipſi convenire pontifici: ſuſciperet Leo partes ſuas, quique ſummum judicium in omnes ha-
D beret, idem de ſe, ſolo Numine vel teſte, vel vindice, judicaret. Quibus Leo reſpondit, leges veteres de criminibus purgandis extare, ſe ea defenſione, quæ legibus eſſet conſtituta, uſurum. Quibus annuentibus, alia die, præſentibus omnibus, ambonem ædis aſcendit, ac contingens Euangelia, ſolemni jurejurando ſe innocentem eſſe pronunciavit: Ego Leo Pontifex S.R.E. à nemine judicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus, purgo me præſentibus vobis, coram Deo & Angelis ejus, qui conſcientiam novit, & B. Petro principe Apoſtolorum, in cujus conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi objiciunt, perpetraſſe, neque perpetrare juſſiſſe, Deum teſtans, in cujus judicium venturi ſumus, & in cujus conſpectu conſiſtimus: & hoc facio, non legibus ullis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in ſancta Eccleſia ſucceſſoribus meis & fratribus coepiſcopis imponere cupiens, ſed ut certiùs ſuſpicione vos liberem. Itaque omnes eum pro inſonte habuerunt, ac per ſolemnes ſupplicationes gratias Deo, Matrique ejus & B. Petro, omnibuſque Sanctis egerunt. Qua ratione olim ſe Pelagius quoque Pontifex expiarat, exitu ſe nihil Vigilii Pontificis capti comparaviſſe. Leo gratitudinis E ergò, Carolum Romanorum Imp. dixit & unxit. *Sig. l. 4. regni Ital.*

Notingeri Conſtantienſis Epiſcopi ea fuit ſanctitas, ut defuncto illo D. Huldricus Auguſtanus Epiſc. triduano indicto jejunio, ſupplicationibuſque habitis, ſucceſſorem ſimilem Notingero à Deo petere juſſerit, anno 935.

Tantæ fuit auctoritatis & exiſtimationis Æacus, ut cùm diuturna ſiccitate univerſa Græcia laboraret, reſponſum ſit à Pythiaris, qui Delphos ea de cauſa legati acceſſerant, placandum eſſe Jovem deprecatore Æaco. Eo imperato, Jovi Panelennio templum fuit erectum. *Nat. Com. Mythol. l.3. c.9.*

Eruditionis.

Cum ſcriptis literis Eudocia, poſterioris Theodoſii conjux, Hieroſolymis peregrinans, Simeonis Stylitis eremitæ requiſiviſſet, & de Eutychis dogmate ſententiam ipſe eam ad Euthymium monachum deduxit, præcipiens ei, ut cum virum audire velit, ejuſque ſalutari doctrinæ parere, tum eam fore ſalvam. Atque ipſe demum Euthymius Imperatricem Eudociam in viam reduxiſſe memoratur, *à Niceph. l.9.* F *c.14. Ab eod. l.14. c.30.* dicitur, ſolitudinem in formam urbis redegiſſe.

D. Hieron. eruditio tanta fuit, ut Gręci omnes, alioqui omnium gentium literas faſtidire ſoliti, illius unius commentarios in ſuā linguā transferendos curarint. *Roterod. in ejus vita.*

Bartolus tantam in judiciis auctoritatem aſſecutus eſt, ut Paulus Caſtrenſis concilio CCLXXXIIX. ſcribat, temerarium eſſe ab ejus opinione diſcedere. *Iaſon.* autem *in Rub. C. de jur. emphyt.* ſcribit, ſe ejus veſtigia ſemper adorare. *Bart. Soc. in conſ. 31. n.15. & in conſ. 49. n.6. Tom. 4. Bart.* opinioni in judicando eſſe adhærendum, & ejus auctoritatem in foro ſervari. *Hotom. de verbis juris.*

Joannes de Turrecremata, Canonicus regularis, & Nicolaus Cuſanus Auguſtinianus, nullis dignitatibus inſignes, nullo ambitu, ſolius eruditionis commendatione, præter expectationem omnem, ille ab Eugenio IV. hic à Nicolao V. Cardinales creati fuere. Itaque alter gloriabatur, Senatorem ſe priùs fuiſſe, quàm candidatum: alter, galerum ſe priùs accepiſſe, quàm in Senatorum ordinem cooptatum audiviſſet. *Garimbert. l.3. de vitis Pontificum.* G

Petri Bembi doctrinę tantùm tribuerunt Jacobus Sannazrajus & Hieron. Fracaſtorius, ut non priùs hic poema ſuum de morbo Gallico, neque ille de partu virginis in lucem edere voluerint, quàm Bembi judicio approbatum fuiſſet. *Garimbert. l.3. de vitis Pontificum.*

Virtutis, Probitatis in genere.

Romani Delphico oraculo moniti, bello Samnitico, Græcorum ſapientiſſimo & fortiſſimo ſtatuas ponere juſſi, in cornibus comitii Pythagoræ & Alcibiadi ſtatuere. *Plin. l.34. c.6.* miratur, cur non potiùs Socrati & Alcibiadi.

Ariſtomenes Meſſenius vir optimus Græcorum omnium à Damageto Rhodio Galyſi rege eſt judicatus. Hic enim cum Pythiam conſuluiſſet, unde eſſet potiſſimùm uxor ducenda: & ille reſpondiſſet, ejus, qui eſſet Græcorum optimus, filiam duceret; Ariſtomenis filiam natu minimam uxorem ſibi aſcivit. *Pauſ. in Meſſenicis.*

Vir optimus ſemel à condito ævo judicatus eſt P. Cornel. Scipio Naſica à jurato ſenatu. *Plin. l. 7. c. 34.* Nam cum à decem viris librorum Sibyllinorum carmen eſſet inter Sybillyna inventum, fore, ut hoſtes ex Italia pellerentur, ſi mater H deum ex Peſſinunte civitate Phrygiæ Romam afferretur, legati ſunt ad Attalum miſſi, qui tum ibi regnabat, ut ſenatus & populi nomine matrem deum ab eo peterent. In via Delphicum Apollinem legati convenere, ſciſcitantes, ecquid ſpei poſſent de imperanda matre deum ab Attalo habere. Oraculo bonum ſunt animum habere juſſi, impetraturos ab Attalo, quod peterent. Cæterùm curarunt, ut ab optimo totius civitatis viro Romæ exciperetur. Cum jam ergo Oſtiam appuliſſet navis cum ſimulachro deæ, à juratis patribus, de optimo civitatis viro ſententias dicere juſſis, Corn. Scipio Naſica adoleſcens, necdum quæſtura primo dignitatis gradu functus, vir optimus judicatus eſt, qui & ſacra ex ſenatuſconſulto excepit. *Liv. l.20. & alii permulti.*

Solicitanti in Cæſarem amicos Caſſio, omnes, ſi dux M. Brutus eſſet, annuere. Neque enim manus, neque audaciam oſtenderunt ſe requirere: ſed auctoritatem viri, qualis hic eſſet, quaſi auſpicantis & præſentia ſua honeſtatem comprobantis facti. Abſque eo & in ſuſpicienda re animo ſe dejectiore fore, & ſuſpectiores perpetrata. *Plut. in Bruto.*

Thraſea Pætus, Cæcinnæ Pæti & Ariæ gener, Patavinus, vir conſularis & ſacerdos, æqualis Senecæ, Stoicæ diſciplinæ ſectator, virtutis verus rigiduſque ſatelles, tantæ ob probitatem exiſtimationis Romæ fuit, ut *Tacit. l.4.* ſcribat, Neronem Thraſeæ venerabilem ſpeciem ultrò extimuiſſe, nec vultum nec ſpiritum & libertatem viſentis ferre potuiſſe; & propterea abſentem per Marcellum Epirum accuſatorem, damnationis negotium ad patres detuliſſe. Eundem Neronem (etſi graviter ei infenſus foret) aliquando cuidam multa de Thraſea criminosè jactanti, atque dicenti, cauſam ab eo perperam eſſe judicatam, obſtitiſſe ſcribit, atque exclamaſſe palam: Utinam me tam Thraſea diligat, quàm eſt judex juſtus & rectus. Sic hoſtis hoſti teſtimonium perhibuit, de fama periclitanti. Quinetiam Neroni aliquando apud Senecam glorianti, quòd ſibi Thraſea reconciliatus eſſet, Seneca de hoc ipſi gratulatus eſt.

Prudentiæ.

Achitophel Gilonius in tanta exiſtimatione prudentię fuit apud Davidem regem, cujus conſiliarius fuit, ut omnia ejus dicta pro oraculis haberentur. Ea propter David rex non tam Abſalonis filii rebellione, quàm Achitophelis ad eundem defectione territus eſt. *2. Reg. 15. & 26.*

Petrus Soderinus propter eximiam prudentiæ civilis opinionem Florentiæ ex vexillifero dictator perpetuus effectus eſt. Qui honor nemini anteà contigerat. Itaque ſibi magnam apud patricios invidiam ex eo perpetuo magiſtratu conflavit. *Iov. in Leone X. l.2.*

Fortitudinis bellicæ.

Cum Mardonius in Græcia relictus eſſet à Xerxe cum triginta myriadibus ad eam ſubigendam, Athenienſium amicitiam maximè expetivit, eò quòd cladis Perſarum ad Salaminem acceptæ præcipuam cauſam eos fuiſſe ſciret. Miſit itaque ad eos Alexandrum Amyntæ F. Macedonię regem, ſocietatis contrahendæ ergo, quamvis fruſtra. *Herod. l.8.*

Rodolfus I. Imper. cum Othocaro Boemorum rege ſigna collaturus, centum Tigurinos, quorum ſpectatam habebat fortitudinem, equites auratos creavit, & in prima acie conſiſtere juſſit, ut hoc veluti propugnaculo & hoſtium vim arceret, & ſuos ad conſtantiam hortaretur. Eorum plerique fortiter pugnantes cecidere, & in perpetuam rei memoriam inſignia eorum Tiguri in Minorum templo honoris ergò ſuſpenſa fuere. *Stumpſius in Helvetiæ Chron.*

Pudicitiæ.

Pudiciſſima fœmina ſemel matronarum ſententia judicata eſt Sulpitia, Servii Paterculi filia, uxor Q. Fulvii Flacci, electa ex centum præcipuis, quæ ſimulachrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret. *Val. Max. l.8. c.* 16. Iterùm religionis experimento Claudia, inducta Romam deum matre. *Plin. l.7. c.35.*

Liberalitatis.

Cimoni Miltiadis F. Athenienſi liberalitatem ea fama conciliata eſt, ut Critias, qui unus poſteà ex xxx. tyrannis fuit, Scopadum divitias ſit ſibi optare ſolitus, victorias Ageſilai, & Cimonis liberalitatem. *Sab. l.3. Enn. 3.*

Securitatis.

Sergius Galba Imp. in graviſſimis bellis ſeveriſſima diſciplina erga milites ſuos uſus eſt: adeò ut ſimul atque veniſſet in caſtra, protinùs vulgaretur ille trochaicus: Diſce miles militare: Galba eſt, non Getulicus. *Eraſm. l.8. Apoph.*

Veritatis.

Attilium Calatinum Soranorum oppidi proditione reum admodùm infamem, imminentis damnationis periculo Q. Maximi ſoceri pauca verba ſubtraxerunt: quibus affirmavit, ſi in eo crimine ſontem illum ipſe comperiſſet, diremptorum ſe fuiſſe affinitatem. Continuò enim populus penè jam exploratam ſententiam ſuam unius judicio conceſſit: indignum ratus, ejus teſtimonio non cedere, cui difficilibus Reip. temporibus totos ſe exercitus crediſiſſe meminerat. *Val. M. l.8. c.1.*

Juſtitiæ, Integritatis, Fidei.

Æaco juſtitiæ nomine tantum tribuerunt ſuæ ætatis homines, ut ſub illius imperio omnes vivere cuperent, atque ita Ægina inſula populoſiſſima fuerit reddita. *Vide Tit. Metamorphoſes variæ.*

Cùm verſus facti in Amphiaraum, qui ad Thebas periit, ab Æſchylo jam in theatro recitarentur:

Nec enim videri juſtus hic, ſed eſſe vult:
Alta receſſum mente poſſidens, ſcatent
Ex quo ſalubria conſilia per Græciam.

Omnes converterunt in Ariſtidem Lyſimachi, tanquam ad eum præcipuè hæc virtus pertineret, oculos. *Plut. in Ariſtide.*

Phocioni integritas, atque juſtitia eam peperit majeſtatem, ut quoties ab Athenienſi populo cum exercitibus, aut claſſibus dux mitteretur, ab amicis civitatibus fœderatiſque apertis urbium portis, liberè cum militibus exciperetur, non ut Athenienſis, ſed tanquam ipſarum urbium civis. *Plut. in Apoc.*

Platoni, cum tertiò in Siciliam venit, Dionyſius tyrannus fidem ut nulli alii habuit, ut adire ipſum liceret ei non prætentato. *Plut. in Dione.*

Cum Athenis Xenocrates teſtimonium dicere coactus ad aram acceſſiſſet, ut more ejus civitatis juraret, omnia ſe verè retuliſſe: univerſi judices conſurrexerunt, proclamaruntque, ne jusjurandum diceret: quodque ſibimetipſis poſtmodum dicendæ ſententiæ loco remiſſuri non erant, ſinceritati ejus concedendum æſtimarunt. *Val. Max. l.2. c.5.*

Anthiochus Magnus Judæorum fidem tanti fecit, ut duo illorum millia in Lydiam & Phrygiam, quæ defectionem moliri videbantur, tranſtulerit. *Joſeph. l.12. c.3.*

M. Catonem, qui ambitus crimine accerſebat Murenam atq; argumenta colligebat, aſſectabantur de more cuſtodes, ut quicquid ageret, obſervarent. Hi nunquid eo die collecturus, aut tractaturus eſſet, quod ad accuſationem pertineret, frequenter percunctabantur. Si negaret, fidem ei habentes, abſcedebant. *Plut. de emolumento ex inimicis capiend.*

Plutarchus in vita Catonis Uticenſis narrat, tantam Catoni apud populum fuiſſe fidem & auctoritatem, ut de rebus incredibilibus proverbio diceretur, τοῦτο μὲν οὐδὲ Κάτωνος λέγοντος πιθανόν ἐστιν, id eſt, *Iſtud incredibile eſt, etiam ſi dicat Cato.*

Iſdigerdis Perſarum regis fidei tantum Arcadius Imp. tribuit, ut moriturus Theodoſio filio infanti adhuc cum teſtamento tutorem conſtituerit. Quo facto Iſdigerdes pacem cum Romanis toto tempore coluit, tum imperium Theodoſio cuſtodivit. *Cuſp.*

Mechanicæ Peritiæ.

☞ *Conſule Tit. Mechanicis artibus data præmia, quatenus honoraria ſunt.*

Alexander Macedo edicto vetuit, ne quis ſe præter Lyſippum ære, Praxitelem marmore, Appellem coloribus fingeret. *Plin.*

APUD QUOS, IN HONORE HABITI APUD *Deos.*

☞ *Vide Tit. Deorum amici.*

Euripidis excellentiæ in Poetica, in priſca ætate atteſtari eſt viſum, quòd mortuo jam & condito in Macedonia propè Arethuſam, ſepulchrum ejus tactum de cœlo eſt. Eo mirabilius viſum, quod ad id ævi mortalium contigiſſet nulli, extra quàm Lycurgo, quem diis chariſſimum piiſſimumque intelligi voluere annales. *Cæl. l.24. c.10. A. L.*

Sapientes.

Non vulgare Galeni doctrinæ, atque morum integritatis teſtimonium eſt, quòd à M. Antonio Imp. omnium, qui illum præceſſerant, juſtiſſimo ſimul & ſapientiſſimo, quique ob ſingularem ſapientiam ſuam eſt nomen Philoſophi indeptus, celebratus encomiis fuerit, aſcituſque in ſuorum Medicorum clientelam. *Teſtis Gal. lib. de præcognit. ad Poſthumum.*

Cives.

Alcibiades, ſi quis unquam, ab ſua ipſius convulſus eſt gloria. Quæ, ingens cum eſſet audaciæ & prudentiæ ejus ex rebus collecta præclarè geſtis exiſtimatio, ſuſpectum eum reddebat, ſicubi titubaſſet, quaſi res ſibi non eſſent curæ; neque cuiquam fides fiebat, non potuiſſe, nam ſedulò agentem nihil non valuiſſe arbitrabantur aſſequi. Quare moleſtè ferebant Athenienſes, non confeſtim omnia, neque è veſtigiò adferri tranſacta: non reputantes ærarii anguſtias, quibus bellum gerens cum hominibus, quibus erat rex magnus præbitor, ſubinde haberet neceſſe, relicto exercitu, ad ſtipendium proficiſci, & ad commeatum explicandum. *Plut. in Alcibiade.*

Laurentii Medicis ea fuit apud Florentinos auctoritas, ut in ejus gratiam Paciorum & Salviatorum nobiliſſ. familias, quæ contra illum conjuraverant, exciderint: contra Xiſtum IV. Pontif. à quo piorum conſortio excluſi, diriſque devoti fuerant, arma pro eodem ceperint. Ejuſdem comitate delinitus Ferdinandus Neapolitanorum rex, arma, quæ cum Pontifice contra illos acerrimè geſſerat, depoſuit. Ad nutum Laurentii Florentina civitas, vel invita, bellum pro Ferdinando rege contra Innocentium IIX. ſuſcepit: ejuſdem prudentia conciliatus Pontifex, pace facta filium Franciſcum Cibo filiæ Laurentii deſpondit. *Brutus lib.8. hiſt. Flor.*

Æmulos.

Græci poſt diſpartitam prędam, ad Iſthmum navigaverunt, daturi præcipuum præmium, Græcorum meritiſſimis, qui in hoc bello clariſſimè rem geſſiſſent. Eò ubi perventum eſt, duces Græci in aram Neptuni ſuam quiſque ſententiam ſcriptam detulere, quemnam ex omnibus primum, & quem ſecundum judicarent. In ea autem ſuum quiſque nomen inſcripſit, ſe illum, qui præſtantiſſimus extitiſſet, exiſtimans; ſed in ſecundis partibus Themiſtocli Athenienſium duci adjudicandis plerique congruerunt. Ita cum ſinguli in primo loco ſingulos calculos haberent, in ſecundo Themiſtocles, multò ſuperior extitit. Et licèt hanc rem Græci livore quodam ſuperſederint indicare, in ſuam quiſque patriam revecti; tamen Themiſtocles & habitus eſt, & celebratus per univerſam Græciam omnium Græcorum longè prudentiſſimus. *Herod. lib.8.*

Hoſtes.

Athenienſem Themiſtoclem virtus partæque ingentes victoriæ in eam nominis exiſtimationem extulerunt, ut patria pulſus, cùm ad Barbaros ſe recipere cogeretur, Artaxerxes Perſarum rex, Græci nominis acerbiſſimus hoſtis, ſingulari eum honore lætitiaque exceperit: ſæpiùſque inter ſuos dixerit, videri ſibi felicem ſe eſſe, quòd ſibi fortuna Themiſtoclem amicum dédiſſet. Cujus rei tanta eum lætitia ceperat, ut ſæpè noctu experrectus miniſtros rogaret: An ſecum Themiſtocles eſſet? Hujuſmodi autem verbis congruentia addidit facta: urbes enim opeſque ingentes ei dono dedit. *Plut. in Themiſtocle.*

Gliſcente bello Peloponneſiaco, Lacedæmonii pro certo habentes, undequaque remiſſiores ſe oppreſſo Pericle præbituros Athenienſes, juſſerunt ei piaculum ejicere, quo erat, ut tradit Thucydides, ex genere materno contractus Pericles. Verùm cœptum iis, qui miſerant, longè aliter cecidit: quippè pro ſuſpicione & invidia, fidem & exiſtimationem Pericles ad populum multò accepit majorem, hoſtes cum cernerent eum præcipuè & odiſſe & metuere. *Plut. in Periclæo.*

Alcibiades, cum in Helleſponto Selymbriæ proditione occupandæ facta ſpes eſſet, & ſignum maturiùs aliquantò, quàm convenerat, proditores extuliſſent, veritus, ne patefacta proditione, tanta è manibus occaſio elaberetur, cum triginta tantùm ad urbem ſucceſſit, dū cæteri arma capiunt. Cum his audaciſſimus imperator, & viginti aliis, qui urbem per patentem portam irrumpenti ſupervenerant, Selymbriam occupavit. Oppidani tumultu exciti, poſtquam hoſtem in urbe eſſe cognitum eſt, conſternati ad arma currunt. Etiam ex adverſo aciem inſtruebant, in paucos ituri: cum Alcibiades ſuæ fortunæ confiſus, novo fiduciæ exemplo, caduceatorem ad Selymbrianos, in conſpectu aciem explicantes, mittit, qui turbę ſilentio facto, Alcibiadis nomine denunciat, ne priùs quicquam moverent, quàm eum pauca dicere volentem audiviſſent. Qua voce haud aliter omnes Selymbrianorum conatus conciderunt, quàm ſi tum omnes Atticæ copiæ in procinctu ſtetiſſent. Tanta tum unius hominis erat apud hoſtes admiratio, major meo judicio, quàm Cæſaris poſtea apud Pompejanos fuit; cui parvo navigio ſedenti C. Caſſius cum navibus aliquot roſtratis ceſſit. Illo aperto mari vectus, in tutum, ſi hoſtis minùs obediens fuiſſet, fuga ſeſe periculo ſubtraxiſſet. Hunc hoſtili muro cum paucis incluſum cadere haud dubiè oportuit, niſi fortia audenti fortior fortuna indulſiſſet. Circumegit ille hoſtes fando, tam diu ab eorum, quæ fiebant, ſenſu, Selymbrianorum animos avertit, quo ad ex improviſo totus in urbem exercitus irrupit. *Sabell. lib.8. En.3.*

Alexander Theſſaliæ tyrannus, cum Pelopidam ad ſe à Thebanis miſſum perfidè in vinculis retinuiſſet, & eam ob cauſam Thebani contra illum exercitum comparaſſent, duce Cleomene: hoſtes ille ad Thermopylas ex inſidiis circumvenit. Tum Thebani omnes uno ore magiſtratum Epaminondæ (qui propter invidiam inter ordinarios militare coactus fuerat) detulerant. Id quamprimùm Alexander reſcivit, Epaminondæ ſucceſſum veritus, Pelopidam ultrò dimiſit. *Pauſanias in Boeticis.*

Philopœmen Megapolitanus, dux fortiſſimus, contra Meſſenios, quamvis febri laborans, profectus, vulnere accepto, vivus in poteſtatem hoſtium venit. Meſſeniorum plebs eum propter rerum geſtarum magnitudinem, contra locupletum injuriam defendere, ſed nimis ſerò, ſtuduit. *Plutarchus & Pauſ. in Arcadicis.*

Occupata Roma à Gallis, Brennus relicto ad Capitolium præſidio, cùm per forum deſcenderet, deorum Sacerdotes, ſeneſque conſulares & triumphales thenſis veſtitos, in eburneis ſellis ſedentes offendit. Subſtititque miraculo virorum eo ornatu & ſilentio conſidentium, quod neque aſſurgerent advenientibus hoſtibus, neque vultum coloremve mutaſſent, ſed ſoluti & intrepidi ſcipionibus, quos manu tenebant, innixi, & in ſe mutuo verſi, quieſcerent. Hujuſque rei commotos miraculo Gallos diu cunctatio eos attrectandi accedendique veluti auguſtiores tenuit. *Plut. in Camillo, & Val. lib.3. cap.2.*

Tiberius Gracchus quæſtor deſignatus, conſulem C. Mancinum ad bellum Numantinum ſequutus eſt, hominem non malum, ſed ducem Romanorum omnium infeliciſſimum. Qui cùm ingentibus fuſus præliis eſſet, adortus eſt nocte relictis caſtris ſe recipere. Cæterùm odorati id Numantini, ceperunt extemplò caſtra ejus, exercitum inſecuti fugientem ſunt, extremum agmen conciderunt, omnes circumvenerunt copias, conjeceruntque in loca aperta, ut nullum pateret effugium. Hìc diffidens vi expedire ſe ſalutem poſſe, Mancinus legatos miſit ad illos, inducias & pacem flagitatum. Illi verò fidem negaverunt adjungere ſe, præterquam uni Tiberio, ulli, atque, ut hic mitteretur ad ſe, popoſcerunt. Expetiverunt id tum ipſius virtute adoleſcentis, quòd nomen ejus in caſtris ingens, tum patris memoria Tiberii, qui bello cum Hiſpanis geſto, multiſque domitis, fœdus cum Numantinis fecerat, quod ſervari à populo rectè atque ordine præſtiterat illibatum. Ita miſſus Tiberius egit cum Numantinis: ac quædam ab iis impetrans, quædam concedens, fœdus fecit, atque viginti millia civium, extra ſervitia & lixas, non obſcurè conſervavit. Quicquid autem relictum in caſtris fuerat, eo potiti Numantini omni ſunt, & diripuerunt. In his Tabulæ erant Tiberii, in quibus quæſturæ acta & rationes continebantur: quas recipere magni faciens, cum exercitus jam in itinere eſſet, tribus aut quatuor amicis comitantibus eum, regreſſus eſt Numantiam. Excitos Numantinorum magiſtratus oravit, ut tabulas ſibi redderent, ne iniquis calumniandi præberet anſam, quòd referre rationes non poſſet. Læti oblata præſtandi beneficii occaſione Numantini, invitaverunt eum, ut urbem ingrederetur. Ut deliberabundus conſtitit, propiùs accedentes, manus ejus corripuerunt, majorem in modum precantes, ne ultra in hoſtibus numeraret ipſos, ſed uteretur pro amicis, & fidem haberet. Itaque viſum Tiberio eſt morem eis gerere, cum tabularum deſiderio, tum timens etiam exaſperare diffidentia Numantinos. Ingreſſo urbem primò prandium propoſuerunt, atque obſecraverunt enixè, ut aliquid communi menſa ſecum cibi caperet. Inde tabulas ei reddiderunt, juſſeruntq; ut de reliqua præda ſumeret, quicquid ei cordi eſſet. Ille verò præter thus, quo ad ſacra publica utebatur, nihil cepit, atque ita, poſtquam comiter ſalutavit, digreſſus eſt. Ut Romam rediit, pacem eam totam exagitaverunt, & inſectati ſunt, ut indignam & fœdam civitati. At militum neceſſarii, quæ portio erat ingens populi, concurſu ad Tiberium facto, quod inerat rei geſtæ maculæ, adſcribebant duci, ſalutem verò tam multorum civium tribuebant. Hìc verò præcipuè ſuam erga Tiberium benevolentiam & ſtudium declaravit populus, qui conſulem Numantinis nudum & vinctum juſſit dedi, cæteris omnibus Tiberii cauſa pepercit. *Plut. in Tiberio.*

Paulinus presbyter Antiochenus ſub Euſtachio Epiſcopo, in exilium pulſo, eam populi partem, quæ orthodoxa fuerat, inſtituere cœpit, & in fide retinere: cùmque Ariani ſpacioſiſſima templa occupaſſent, ipſe in parva quadam æde docebat, etiam Arianis ipſis ejus canitiem & humanitatem colentibus, ut nihil ei moleſti eſſent, ne ipſe quidem Valens Imp. orthodoxorum perſecutor ſummus. *Socrat. lib. 3. cap.6. & 9.*

Epiphanius Salaminæ Cypriorum metropolis Epiſcopus, tanta fuit apud omnes veneratione, etiam hæreticos & Arianos, ut Valens Imp. Arianus vim ei nullam intulerit. Piaculum enim hæretici exiſtimabant, virum tanta præſtantem pietate & eruditione, perſecutione aliqua inceſſere. *Socrates lib.6. cap.12. Sozom. lib.8. cap.14.*

Joſcelinus Comes Edeſſanus, à Latinis in Syria creatus ſummus belli dux, veteranuſque imperator, cum æger in cubili jaceret, immenſaſque Barbarorum copias appropinquare habe-

A haberet exploratum, juſſit filium eodem nomine Joſcelinum in eos ducere. Juvenis tergiverſabatur, multitudinem hoſtiũ horrens. Pater ſenex ægerque lectica latus, aciem inſtruxit tanta arte, ac ita milites acuit, ut de victoria non dubitaretur. Hoſtis ſenẽ ipſum imperare, ac inter tela verſari ubi primùm accepit (quem ætate valetudineque infirma militaribus imperatoriiſque muneribus abſtinere crediderat, & de juvene ſibi certam victoriam ſpoponderat) ſigna conferre non auſus, diſceſſit. Mortuo ſeni filius ſucceſſit. *Æmil.l.5.*

Mahometus II. Imp. Turcorum, voluit ſe palam laudari, cunctiſque ſummis imperatoribus, ac regibus, quotquot ſunt aut fuerunt uſpiam gentium, gloria anteponi. Mathiam Hungariæ regem ſolum excipiebat, quem etiam Principis nomine ſtrenui ornabat. Ejus certè patris Joannis Huniadis morte per Gregorium Serviȩ Deſpotum nunciata, totum penè diem mœſtus obmutuiſſe fertur, cum mortem tanti viri, licèt hoſtis, ob ſummam virtutem crudeliſſimus tyrannus doleret. *Cuſp.*

Alfonſus Aragonius ad Trojam memorabili prælio hoſtes vicit. Eques unus in conflictu regi obvius, ubi cæteris orna- B tiorem eſſe vidit, impetu in illum invectus, quis eſſet, interrogavit. Tum Rex: Sum Alfonſus, reſpondit. Qua voce velut ſidere tactus eques, properè ex equo deſcendit, genuaque ejus amplexus, ſeſe illius clementiæ dedidit. *Laud. Dominicus lib.1.Var. hiſt. ex Panorm.*

Ejuſdem quoque, licèt victi & capti à Genuenſibus, tanta fuit auctoritas, ut nihilominùs conditiones dixerit, & victores victo metu ceſſerint, victoriam caſu, non virtute ſe conſecutos arbitrati. *Panorm. lib.4. de rebus geſtis Alfonſi.*

Franciſco Sfortiæ Mediolanenſes hoſtes occurrerunt ad Brivium, quibus ille obviam profectus inermis, capiteque detecto, tantum auctoritate oriſque majeſtate apud illos valuit, ut abjectis armis, omnes ſeſe illi ſubiecerint, manuſque ipſius apprehendentes oſculati ſint, & non multò pòſt mutato conſilio, ducem illum in urbem deductum cuncti ſalutarint. Nempè multò majus id in Sforcia fuit, quàm in Scipione, cùm in latrones incidit, quòd illi, ut ſpectarent Scipionem, ad eum iverant: hi correptis armis Caſtella Franciſci invaſerant, ut adimerent. *Egnat. & Fulg. lib.2. c.5.*

Caroli Zeni Veneti, qui decem annos apud Galeacium C Vicecomitem in ſumma gratia fuit, & auctoritate, in patriã reverſi, domum legati Genuenſium ſepè ſubiere, ſermonemque cum eo familiarem miſcere ſoliti erant, atque etiam domo quandoque exeuntem in publicum benigniſſimè comitari: tametſi meminiſſent, Genuenſem claſſem ſæpè ejus virtute victam, Bichinoniam navim captam, Clodiam receptam, victum navali apud Methonem prælio Bucicaldum Genuenſium claſſis præfectum. *Egnat. l.2. cap.5.*

M. Ant. Columna tormento graviter vulneratus fuerat, Gallis & Venetis Veronam obſidentibus. Odettus Lotrechius Gallus, Inſubrum præfectus, tametſi hominem, qui omnibus bellis acerrimus Gallorum hoſtis extitiſſet, publicè oderat, atque, ut erat potiundæ urbis & militaris gloriæ avidus, plurimùm adverſarii ducis incommodo lætaretur: tamen quum ſingularis viri caſum magnoperè doluiſſet, & Medicum obtulit, & quotidie ad eum graviſſimarum rerum munera, ſicuti morbus, & afflictæ urbis miſeria flagitare videbantur, officioſè humaniſſimèque tranſmiſit. Erat enim M. Antonius maximarum virtutum gloria etiam apud hoſtes illuſtris. *Sabell. ſuppl. lib.8. ex Iovio.*

D

Præceptores.

Ariſtoteles Theophraſtum ſucceſſorem ſibiipſi delegit Conſultus a diſcipulis de ſcholæ ſucceſſore, vino Rhodio & Lesbio, uti petierat, in medium allato, & utroque deguſtato: Rhodium quidem generoſum atque firmum vinum, ſed Lesbium dulcius eſſe, pronuncians, Menedemo Rhodio Theophraſtum Ereſſium è Lesbio non obſcurè prætuliſſe viſus eſt. *Gellius lib.13. cap.5. & Laert. cap.1.*

Diſcipulos.

☞ *Conſule Tit. Fidei & Amoris erga præceptores.*

Auctor eſt M. Tullius, tantum exiſtimationis apud ſuos eſſe adeptum Pythagoram, ut ſi quid affirmarent in diſputando, quum ex eis quæreretur: Quare ita eſſet? reſpondere non vererentur, Αὐτὸς ἔφα, hoc eſt, Ipſe dixit: ipſe autem erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas. *Cælius lib.19. cap.7. A.L.*

QUOMODO SIVE QUO EFFECTU occaſione hujus Auctoritatis Servati.

Exciſa Jotapata Galilææ urbe, Veſpaſianus omni ſtudio Joſephum ducẽ Judæum, qui magna prudentia & fortitudine in Romanos pugnarat, inquiſivit, ut vivum caperet. Cumque E in ſpelunca quadam latentem comperiſſet, Nicanorem tribunum miſit, qui data fide eum educeret. Eductum facta corona milites omnes admirabantur, & circunſtabant, in primis verò T. Veſpaſiani F. fortitudinis ergò vitam ei apud patrem impetravit, neve Romam ad Neronem mitteretur effecit. Quin etiam eum poſtea ſemper inter domeſticos habuit. *Ioſeph. l.4. c.14.*

Cum plebs Campana in gratiam Hannibalis Senatum perdere conſtituiſſet, Pacuvius Calanus huic inſtituto favere ſimulans, ut tamen averteret, ſuaſit eis, ut priùs de alio ſufficiendo paciſcerentur: At cum non inveniretur, qui honeſtè in Senatum legi poſſet, deteriorumque electionis puderet, de Senatus mutatione integra res relicta eſt. *Livius.*

Cum Xerxes apud Sciathum tres præſidiarias Græcorum naves, Trœzeniam, Ægineticam & Atticam, cepiſſet; Pythius Iſchenoi filius miles præſtantiſſimus, qui in Æginetica fuerat, eouſque pugnando etiam navi capta reſtitit, donec totus dilaniatus eſt. Quem collapſum, adhuc tamen ſpirantem, Perſæ admiratione virtutis ſervarunt, vulneribus myrrha medentes, ſindoneque byſſina & faſciis obligantes: F alque in caſtra ſua reverſi, hominem univerſo exercitui oſtentabant admirabundi: cùm alios, quos in eadem navi ceperant, tanquam mancipia adſervarent. *Herod. lib.7.*

Dorieus Rhodius pancratiaſta celeberrimus, navali bello ab Athenienſibus captus, propter gloriam nominis, incolumis dimiſſus eſt. *Pauſan. lib.6.*

C. Marius in profundum ultimarum miſeriarum abjectus, ex ipſo vitæ diſcrimine, beneficio majeſtatis emerſit. Miſſus enim ad eum occidendum in privata domo Minturnis clauſum ſervus publicus natione Cimber, & ſenem & inermem & ſqualore obſitum, ſtrictum gladium tenens, aggredi non ſuſtinuit; ſed claritate viri obcæcatus, abjecto ferro attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perſtrinxit, devictæque ſuæ gentis interitus animum comminuit, etiam diis immortalibus indignũ ratis, ab uno nationis ejus interfici Marium, quam totam deleverat. Minturnenſes autem majeſtate illius capti, compreſſum jam & conſtrictum dira fati neceſſitate incolumem præſtiterunt: nec fuit eis timori aſperrima Syllæ victoria, cum præſertim ipſe Marius eos à conſervando Mario G abſterrere poſſet. *Val. l.2. c.5.*

Magno Sfortiæ ad Calorem amnem apud Beneventum, pridie, quàm à Jacobo rege & à conjuratis cuſtodiæ traderetur, profluentis vadum tentanti, disjunctoque è ſuis, ad id delecti equites, diſtrictis repentè gladiis, & adactis equis, vim afferre decreverant. Sed ille quamquam nihil tale ſuſpicaretur, quum ſine conſilio ſuo quædam turbatiùs, quàm pro pacati & nihil hoſtile timentis agminis conſuetudine, imperari & circumagi videret, tanto animi vigore ſuo vexillo agmen compoſuit, & galeatus ferocem equum, quo in præliis uti erat ſolitus, conſcendit, ut conjurati, quò minùs tela expedirent, ſolo illius aſpectu terrerentur. *Iovius in ejus vita.*

Libertate donati.

Paulinus Nolanus Epiſcopus, pòſt Valentiniani III. Imp. mortem, à Genſerico Vandalorum rege cum Nolanis civibus permultis captivus in Africam perductus, ob conſpectus venerationem, manſuetoſque mores, atque ingentem virtutem, dignus habitus fuit, qui non ſolùm liberaretur, verùm etiam ut reliqui Nolani captivi cum eo, datis navi- H bus, atque in multos menſes commeatu, ſine ullo precio, in patriam remitterentur. *Fulg. & Egnat. lib.3. c.5. & Sab. lib.8. cap.2.*

Abſoluti, Non condemnati.

Epaminonda Thebanus reverſus è Laconia capitis arceſſebatur, quòd Bœotarchiam quatuor integros menſes contra legem geſſiſſet. Collegas igitur juſſit, ut in ipſum culpam derivarent, quòd eos invitos coegiſſet. Ipſe verò in curiam ingreſſus, non meliores rebus geſtis rationes habere ſe dicebat, & ſe quidem intercidi poſtulabat, verùm inſcribi columnæ, quòd nolentes repugnanteſque Thebanos Epaminondas coegerit, ut Laconicam, quingentis antè annis intactam, ab hoſtibus incendio ferroque vaſtarent, & ut ipſe ȩdificaret iterum Meſſanam, trecentis atque triginta annis deſolatam: quòd Arcades bello in ſocietatem compulerit, & Græcis libertatem reſtituere coegerit. His auditis pudore affecti judices, liberum pronunciarunt. Cumque regrederetur è curia, & Melitenſis catellus blandiretur cauda, dixiſſe fertur ad præſentes: Hic mihi, inquiens, pro

A beneficio gratiam reponit: at Thebani, de quibus ſæpè multùmque ſum præclarè meritus, mortem mihi judicio inferre voluerunt. *Ælianus de var. hiſt. l.13.*

Cùm P. Scipio Africanus, poſt egregia ſua facta, à M. Nævio Tribuno pl. apud populum accuſatus eſſet, quòd à Rege Antiocho pecunia accepta pacis cõditiones molliſſimas regi obtuliſſet: die dicto, pauca quædam præfatus: Hic eſt ille dies, Quirites, inquit, qua Hannibalem vici, Carthaginem tributariam feci, patriam maximo periculo liberavi. Eamus hinc in Capitolium, gratias diis immortalibus acturi. Excitatus his verbis populus, relicto Tribuno, Scipionem in Capitolium comitatus, atque inde ad ædes ejus cum gratulatione ſolemni proſecutus, memoriam factorum revocavit, ex quo omnium gratia abſolutus eſt. *Hiſtoriam pete ex Livio, Plut. Gell. l.4. c.18.*

Q. Metelli & Æmilii M. Scauri tanta auctoritas fuit, ut etiam delicti ſuſpicionem tegere potuerit. Ille jam ſenex cum diceret cauſam de Repetundis, ipſiuſque tabulæ ab accuſatore poſtulatæ ad nomen inſpiciendum circumferrentur in judicio: univerſum concilium ab earum inſpectione B oculos avertit, ne de aliqua re, quæ in tabulis relata eſſet, viderentur hæſitaſſe. Itaque abſolutus eſt: nec enim in tabulis aut rationibus, ſed in vita Q. Metelli argumenta ſincerè adminiſtratæ Provinciæ legenda ſibi judices crediderunt: indignum rati, integritatem tanti viri exigua cera & paucis literis comprobari. Scaurus etiam ſenex, cum à Vario Tribuno plebis argueretur, quaſi Socios & Latium ad arma coegiſſet: vel (ut Valerius ait) cùm pro Roſtris accuſaretur, quòd à rege Mithridate ob Remp. prodendam pecuniam accepiſſet, ita populum interrogavit: Varius Sucronenſis Marcum Æmilium Scaurum regia mercede corruptum, imperium Populi Rom. prodidiſſe ait. M. Æmilius Scaurus huic ſe affinem culpæ eſſe negat. Utri creditis? Hujus dicti admiratione Populus commotus, qui ſummam virtutem rei & continentiam, accuſatoris nequitiam & vilitatem noſſet, Varium ab hac accuſatione depulit. *Ex Valerio Maximo, l.2. c.5. l.3. c.7. & ex Plin. de viris illuſtr. P. Ærodius l.2. Decr.*

A. Attilium Calarinum, Soranorum oppidi proditione reum admodùm infamem, imminentis ac certæ damnatio- C nis periculo, Q. Maximi ſoceri fides, integritas, cognita virtus, majeſtatiſque ac ſecuritatis plena affirmatio, ſubtraxit. Juravit enim, ſi eo crimine ſontem illum ipſe comperiſſet, diremptum ſe fuiſſe affinitatem. Igitur populus Romanus (non enim aliis judicantibus fortaſſe licuiſſet) penè jam exploratam ſententiam ſuam, unius judicio conceſſit: indignum ratus, ejus teſtimonio non credere, cui difficillimis Reip. temporibus exercitus ſe credidiſſe meminerat, cujuſque generum tanti & tam acerbi criminis, quod nunquam unius eſſe poteſt, non facilè condemnaret, quin aliqua ſemper ad ſocerum delicti ſuſpicio perveniret, quem de iſta proditione, ſi ullum alium, nihil ignoraſſe veriſimile videretur. *Ærodius ex Val. Max. lib.8. cap.1.*

Matrimonio cohoneſtati.

☞ *Vide Tit. Matrimonia oblata.*

David Abigailis prudentiam tantoperè fuit admiratus, ut mortuo Nabal ejus marito, eam in matrimonium petere non dubitarit. *1. Reg.15.*

Numa Pompilius, Pomponii Sabini, qui Curibus Sabinorum oppido habitabat, F. dum omnem luxum domo & deli- D cias exigit, omnibus civibus & peregrinis integrum ſe in judicando & conſilio dando præbet: otium ſuum non in luſtris & quæſtibus ponit, ſed in religione deorum immortalium, & in contemplanda per rationem eorum natura & poteſtate: ingenti nomine fuit & gloria, ut Tatius ille, quem conſortem regni habebat Romulus, unicam filiam ei Tatiam nuptum daret; mortuo quinetiam Romulo, à Romanis in regem electus fuerit. *Plut. in Numa.*

Fulco Comes Andegavenſium, centum equitum cataphractorum comitatu in Syria adverſus impios præclara edidit facinora. Mortua prima uxore Viberga, domum regreſſum Balduinus rex ſenex de ſucceſſore ſolicitus, ſuaſu amicorum toto ex orbe terrarum delegit, cui majorem filiam Meliſcendam in ſpem ſucceſſionis collocaret: Eliſa minor Boemundo juniori Antiochiæ principi deſponſa fuit. Conſilium prudens, fidumque ac felix. Ivit Andegavenſis: ſoceri ſenectutem piè texit: in Barbaros res ſumma virtute geſſit: ſuperavitque ſpem, quæ de illo concepta erat. Anno ejus ſæculi trigeſimo primo deceſſit Balduinus rex: ſucceſſit Andegavenſis, ſimul in Antiochenſi principatu, bello Barbarorum occiſo Boemundo juniore. Ejus unicæ filiæ Conſtantiæ vir, E qui rem Antiochenſem capeſceret, deligendus erat: cujus optionis arbitrium ad Fulconem regem rejectum eſt. Affectuum ſuorum rationem non habuit: Raimundum ſui paternique inimici Gulielmi Aquitanorum ducis filium minorem (major in Ducatu patri ſucceſſerat) digniſſimum eo munere nuptiarum cenſuit, cujus fidei virtutique ipſe principatum Antiochenſium, beneficium ſuum, ſecundaſque in Oriente partes committeret. Ita opes Aſiaticæ Latinorum virtuti nobilitatique dotales erant, & Francorum nomen tam illuſtre, ut omnes Latinos Francorum nomine barbara religio cenſeret. *Æmil. lib.5.*

In amicitiam recepti.

☞ *Ex Tit. Amicitiæ virtutis nomine cõciliatæ, huc quædam.*

Abimelech Gerarorum rex in Palæſtina, cum Iſaac proſperitatem & opulentiam videret, quamvis eum expuliſſet, tamen cum eo fædus ultrò percuſſit, ne alter alteri noceret. *Gen.26.*

Dionyſius tyrannus minor, Platoni Athenis accito tantum fidei habuit, ut ſolum ad ſe non prætentatum à ſatellitibus admitteret. *Plut. in Dion.* F

Nicolaus Damaſcenus Antiochiæ, quæ apud Daphnem eſt, Indorum legatos vidiſſe ſe ait, qui ad Cæſarem Auguſtum venerant, & quidem plures ex epiſtola ſignificabantur, ſed tres tantùm ſervati erant, cæteri longitudine viæ perierant. Addit, epiſtolam Græcam fuiſſe in membrana ſcriptam, in qua ſignificaretur, Porum eſſe, qui ſcriberet, & cum ſexcentis regibus imperaret; Cæſaris tamen amicitiam multi facere, & ratum ſe, quocumque voluerit, aditum exhibere, & quibuſcumque rectum fuerit, opitulari. Allata prætereà eſſe dona. *Strabo lib.15.*

Caroli Magni Rom. Imp. tantus terror nominis ejus armorumque metus non ſolùm Græciam, verùm etiam Africam & Perſicam penetravit, ut Ægypti Africæ Perſarumque reges miſſis legationibus ac muneribus, ultrò amicitiam ejus ambirent. Abdalla certè Medorum atque Perſarum ſatrapes, orator regis ſui legatione Palæſtinorum Carolum acceſſit Aquiſgrani, ultima Quadrageſimæ ſeptimana anni 806. *Aventinus lib.4.*

Sacro magiſtratui præfecti.

Ambroſius præfectus Mediolanenſis, tantæ apud ſuos fuit G auctoritatis, ut mortuo Epiſcopo Auxentio, cum de ſucceſſore in partes diviſa eſſet civitas, cum illi, quamvis invitum, ſubſtituerent.

Remigius XXII. ætatis anno, Gennadio Epiſcopo Remenſi mortuo ſuffectus eſt, nolens & invitus, propter ſingularem pietatis opinionem. Repugnantis caput inuſitatus luminis radius circumfulſit, & oleum incerto auctore capiti ejus inſtillavit. *Hincmarus in ejus vita.*

Thalaſſius, ex præfecto Illyrici Cæſareo, Epiſcopus etiam invitus conſtitutus fuit à Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo. *Centuria hiſt. Eccl.*

Nectario Tarſenſi ſenatori ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum aditum fecit ſola gravitas morum, & auctoritas, ſub Theodoſio. *Centuria hiſt. Eccl.4.*

Cum ſchiſmate diſciſſa eſſet Chriſti tunica, ad diverſos pontifices declinante variis ſtudiis Eccleſia in Conſtãtienſi concilio (ubi Cardinalium numerus duos & triginta ſuperabat) abdicatis pontificatu Joanne, Gregorio atque Benedicto, miro omnium conſenſu pontifex creatus fuit Odo, gente Columna ortus, & Martinus V. Appellatus: unum illum ob H ſingularem virtutem, bonitatemque, & doctrinam, tanto honore dignum duxerunt: neque ipſorum ſuffragiis, ſed à Deo electum ferebant. *Fulg. lib.8. cap.16.*

Reges facti.

☞ *Conſule Tit. Imperii acquiſitio per Electionem.*

Duces belli creati.

Cum Galaaditici populi principes graviter oppreſſi ab Ammonitis & Palæſtinis apud Maſpham caſtra haberent, ita inter ſe convenerunt, ut qui primus pugna cum hoſtibus cõſerere auderet, is in omnium Galaditarum principatum aſſumeretur. Jephtha quidam, vir fortiſſimus, Galaado genitus, ſed ſpurius, à fratribus ſuis pulſus, in terra Toba conſederat, & perditorum hominum manu collecta excurſiones faciebat. Eum ſenatores Galaaditarum, ducem elegerunt. Is Ammonitas domuit. *Judicum cap.11.*

Interfecto Juda Machabæo, Bacchides Demetrii dux, convocatis ad ſe Judæorum deſertoribus, qui religioni patriæ profanos ritus prætulerant, his adminiſtrationem regionis commiſſit, qui comprehenſis Judæ amicis & fautoribus, Bacchi-

A Bacchæ eos tradiderunt, & is tortos primùm cruciatoſque ad libitum, poſtremò omnes ad unum enecavit. In hac tanta calamitate conſtituti Judæi, quantam poſt captivitatem Babylonicam nunquam experti fuerant, quotquot erant reliqui ex Judæ ſociis, veriti gentis interitum, adierunt Jonatham Judæ fratrem, rogabantque, ut Germani æmulus fieret, ut qui ad extremum halitum libertatem propugnans, præclaris conatibus immortuus erat: nec fineret totam gentem ſine præſide venire in extremum ſalutis periculum. Tum Jonathas paratum ſe vel ad mortem obtulit pro tutela populi, & viſus dignus, qui Judæ fratri ſuo ſuccederet, communibus Judæorum ſuffragiis adminiſtrandæ militiæ præfectus eſt. *Joſephus lib.* 13. *c.* 1, *ex* 1. *Machab.* 9. Quadriennio poſt Alexander rex etiam pontificatum ei conceſſit. *Lib.* 15. *c.* 5.

Lacedæmonii ingenti ſtrage ad Argiunſas affecti ab Athenienſibus, Epheſi congregati, decernunt certos Spartam mittendos, qui Lyſandrum claſſis prætorem deſignari poſtulent. Ejus namque ductu, quum claſſem prætor olim regeret, multa præclara facinora fuerant edita, reique militaris & artis bellicæ peritia cæteros longè ſuperare videbatur. B Cæterùm Lacedæmoniis lege prohibitum erat, eundem bis prætorem in eamdem expeditionem mittere. Itaque patrium morem abolere nolentes, Arato claſſis jus præturamque tradunt, Lyſandrumque cum eo privatum proficiſci jubent, ducique mandant, uti nunquam à Lyſandri conſiliis diſcedat, nihilque adverſus ejus ſententiam audeat. *Diod. lib.* 13.

C. Fabricius Lucinus P. Corn. Ruffino fortitudinis cauſa conſulatum detulit, quamvis ei propter avaritiam infenſus valdè eſſet. *Gellius lib.* 4. *cap.* 8.

Clade ad Thraſymenum nunciata, Romani præ terrore nec conſiſtere animis, nec in gradu permanere potuerunt. Conveniunt igitur in unam ſententiam, libero & ſoluto reipub. opus eſſe imperio, quod vocant Dictaturam, & viro, qui ſeverè eam & intrepidè adminiſtret. Q. Fabium maximum eum eſſe, qui pares majeſtati imperii ejus animos, gravitatemque habeat morum, & id ſit ætatis, qua mentis conſiliis adhuc vividę corporis vires reſpondeant, & attemperatus ad prudentiam fervor ſit. *Plut. in Fabio.*

L. Martium equitem Romanum duo exercitus, P. & Cn. C Scipionum interitu, victoriaque Haſdrubalis lacerati, ducem legerunt, quo tempore ſalus eorum in ultimas anguſtias deducta, nullum Ambitionis locum relinquebat. *Val. l.* 8. *c.* 16.

Urgente bello Macedonico, cùm Perſeus Romanos duces ſæpè fudiſſet, de duce perito contra tantum regem mittendo conſultabant Romani. Is L. Paulus Æmilius erat, provecta jam ætate, & annos natus circiter ſexaginta; ſed corpore vivido, ſuccinctus propinquis, & filiis juvenibus, item præpotentium amicorum frequentia & neceſſariorum, qui omnes ſuaſerunt ei, ut conſulatum deferenti morem gereret populo. At ille faſtidioſius primùm rejiciebat plebem, & quaſi averſus à magiſtratu gerendo repudiabat munus ejus & ſtudium. Verùm cùm quotidie aſſidui eſſent ad januam ejus, atque in forum eum evocarent increparentque, paruit: qui ſimul ut in cœtu candidatorum conſularium apparuit, non conſulatum viſus eſt accepturus, ſed victoriam & belli lætum ſucceſſum adferre. Cùm hoc populo dediſſet, ut in campum deſcenderet, omnes eum ingenti cum ſpe & alacritate accerſerunt, creaveruntque iterùm D conſulem: nec ſortiri, ut adſolet in aliis provinciis, permiſerunt, ſed extemplò provinciam ei Macedoniam decreverunt. *Plut. in Æmilio.*

Cùm Cimbri Italiam invaſiſſent, nemo ullus ex nobilitate vel ex opulentis familiis candidatum ſe conſulatus eſt profeſſus, ſed C. Marium bello Jugurthino occupatum, abſentem conſulem fecerunt. Modò enim nunciatum fuerat, Jugurtham eſſe devictum, cum rumores de Teutonis & Cimbris increbuere. Cùm lex autem abſentem, & niſi interjecto certo ſpacio vetaret denuò creari conſulem, repudiavit populus adverſantes: quippè non modò primum arbitrantur expedienti concedere legem, neque alieniorem præſentem cauſam illa, ob quam contra leges conſulem creaverant Scipionem: cum non timerent urbis ſuæ perniciem, ſed Carthaginem cuperent evertere. Verùm cum Cimbri in Hiſpaniam priùs abiiſſent, ſpatium dedere Mario militum exercendorum, & ſimul cum in eodem metu præſtaret civitas, tertium & quartum Coſſ. continuos ei detulerunt. *Plut. in Mario.*

Bello piratico graviſſ. incumbente, legem Gabinius Cn. Pompeji familiaris rogavit, quæ non claſſis, ſed planè in omnes mortales imperium & arbitrium concedebat liberum. E Dabat enim ei imperium ea lex, omnis intra columnas Herculis maris, continentis totius ad quinquaginta à mari millia paſſuum. Prætereà permiſit ei ex ſenatu deligere ſexdecim legatos, quibus ſingulas provincias demandaret. Argenti ex ærario & à publicanis, quantum liberet, naveſque ducentas ſumere, militum ſociorumque navalium, quantum viſum eſſet, conſcribere. Eam legem, ubi recitata eſt populus magno ſtudio comprobavit: principibus verò Senatus & potentiſſimis ſupra invidiam quidem viſa eſt, ſed formidoloſa illa immenſa & infinita poteſtas. Itaque impugnaverunt legem, Cæſare excepto. Hic legi ſuffragatus eſt, haudquaquam in Pompeji gratiam, verùm quo populum ſubiret, atque in ſe circumageret. Cæteri acerbè lacerabant Pompejum. Alter conſulum, qui ad illum dixit, Romuli veſtigia ſectantem non declinaturum illius exitum, ferè à multitudine diſcerptus eſt: procedente ad dicendum contra legem Catulo, magnum ſilentium tenuit reverentia ejus populus. Poſtquam hic multis Pompeji laudibus candidè F commemoratis ſuaſit, ut parcerent ei, nec periculis & bellis aliis ex aliis talem virum objicerent: Aut quemnam, inquit, habituri eſtis alium, hunc ſi amiſeritis? omnes una voce ſucclamaverunt: Te. Ita Catulus, ubi nihil profecit, deſtituit. Roſcio incipienti dicere nemo præbuit aures: tum ille digitis ſignificavit, ne ſolum, ſed addito collega deſignarent Pompejum. Ibi offenſum populum adeò ferunt ſucclamaſſe, ut ſupervolitans foro corvus caligine captus atque in turbam ſit delapſus. *Plut. in Pomp.*

Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut Judæa profecti rerum potirentur. Id Judæi ad ſe trahentes, ſub Nerone rebellarunt: cæſoque præpoſito, legatum inſuper Syriæ conſularem ſuppetias ferentem, rapta aquila fugaverunt. Nero Imp. clade Ceſtii Galli, Syriæ præſidis & Judæorum defectione perturbatus: cum dubitaret cuinam res Orientis committeret, unus ſuccurit Veſpaſianus, qui & Germanos & Britannos compreſſerat, cui tam periculoſum bellum concederet, Deo jam ad imperium ei viam ſternente. *Ioſephus lib.* 3. *cap.* 1. *Belli Iud. & Svet.*

Victor Piſanus Venetus, cum ob rem malè ad Polam contra Genuenſes geſtam in carcere eſſet, & capta à Genuenſi- G bus urbe Clodia, inter patricios Venetos nullus jam petere auderet, ut claſſi præficeretur: plebs magnis clamoribus petiit, ut Victor Piſanus eligeretur, ſine quo victoriam ſe aſſecututam deſperabat. Ea re motus ſenatus Venetus, unà cum principe à palatio ad carcerem, ubi Victor erat falsò accuſatus ob acceptam antea apud urbem Polam cladem deſcendit, eductumque è carcere ejus belli ducem creavit: populique ac Senatus judicium res à Victore feliciter geſta approbavit. *Fulg.* 8. *cap.* 16. *& Platina in Vrbano VI.*

Antonio Grimano, eò quòd infeliciter & negligenter rem geſſerat contra Turcos, Veneti imperium abrogavere, & quoniam Thomas Zenus, qui magni animi magnæque virtutis eſſe vir ab omni planè civitate exiſtimabatur, fiſco pecuniam debebat: fiſci autem debitoribus antiqua lege magiſtratus mandari nullus poterat, uti Thomæ Zeno ea lex fraudi ne eſſet, quò minùs ei navium præfectura quælibet attribui per Senatum poſſet, in lege Decemvirum eſt additum. *Bembus l.* 5. *Hiſt. Ven.*

Officio honorifico præfecti.

Joſephus in tanta apud Ægyptios gratia fuit, Deo fortu- H nante, ut primùm Putipharis magiſtri equitum domo præfectus fuerit, deinde in carcerem præter ſuum meritum detruſus, à carceris magiſtro vinctis omnibus præpoſitus: tandem è carcere liberatus, ſecundus à Pharaone extiterit, & Ægyptum univerſum rexerit. *Gen.* 39. *& ſeqq.*

Cùm grave æs alienum Athenas premeret, & res ad ſeditionem plebis contra divites ſpectare videretur, hi, qui inter Athenienſes maximè ſani erant, advertentes Solonem præcipuè vacare crimine, neque opulentorum in injuria ſocium eſſe, neque neceſſitatibus implicatum inopum: oraverunt eum, ut Rempublicam capeſſeret, & componeret controverſias civium. Atqui Phanias Lesbius ipſum dicit Solonem ad ſervandam Rempublicam dolo utramque partem circumveniſſe, atque oſtendiſſe occultè egenis legem agrariam pactorum, firmitudinem pecunioſis. Verùm ipſe primò ſe Solon dubitaviſſe hanc actionem refert ſuſcipere, deterritum horum avaritia, illorum inſolentia. Creatus fuit ſecundum Philombrotum Archon, ſimulque concordiæ arbiter & legislator. Fuit autem pergratus diviti-

A bus ut locuples, ut probus pauperibus. Sunt qui dicant, Solonis ſortes quoque has ab Apolline datas:

Ad puppim reſolvunt moderator dirige curſum:
Multus Athenarum populus tua ſigna ſequetur.

Plutarchus in Solone.

P. Scipio Naſica, à ſenatu jurato vir optimus judicatus matrem Deum, tunc primùm advectam, apudque virum optimum ex oraculo divertendam, hoſpitio ſuſcepit. *Plin. l.* 7. *c.* 34.

Cuſtodes facti rerum cariſſimarum.

Rhodiorum urbem præ reliquis maximè coluit Alexander Magnus, ita ut in ea de toto regno teſtamentum repoſuerit, & alioquin eam multùm promoverit. *Diod. lib.* 10.

Antiochus Magnus, cùm per Phrigiam & Lydiam gentes quaſdam ſeditionum ſtudioſas eſſe comperiſſet, Zeuxidi prefecto ſcripſit, uti duo millia Judæorum, qui Babyloniam & Meſopotamiam incolerent, eò cum omni ſupellectile traduceret, & opportunis locis præſidia diſponeret, immunitate tributorum per decennium propoſita, & libertate religionis. *Ioſephus lib.* 12. *cap.* 3.

B Viridis è Scaligerorum illuſtri familia orta, quum ſupremum vitæ diem obiret, non parentis in ſe voluntatem, non mariti principis erga ſe amorem ſecuta, procuratoriam fidem & Veneti nominis auctoritatem & patri & marito præpoſuit. Siquidem teſtamenti tabulis immenſam auri vim Procuratoribus ipſis annumerari juſſit, quæ ſingulis annis pauperibus ab his diſtribuenda eſſet. Id quod hodie quoque ab eiſdem ſumma fide ſervatur. *Egnat. lib.* 6. *cap.* 6.

Dominicus Malateſta Ariminenſis princeps, ſupremis ſuis tabulis multos fundos & agros D. Marci Veneti procuratoribus teſtamento moriens legavit: ex quibus divenditis, quicquid pecuniæ cogi poſſet (quæ ſanè immenſa fuit) id totum partim ſacris viris, qui litatorium ſacrum obirent, partim reliquæ egentium turbæ numerarentur. Id quod Procuratores ipſi præcipua pietate & fide præſtitere. *Egnat. lib.* 6. *cap.* 6.

Exempli loco aliis præpoſiti.

Q. Mutius Scævola Pont. Max. filius P. Mutii proconſul Aſiam obtinuit: eamque provinciam tanta integritate adminiſtravit, ut in poſterum in eam provinciam ituris magiſtratibus, exemplum atque forma officii Scævola propone- C retur. *Plut. in Syl.*

Cato junior ob juſtitiam & integritatem Romæ ingens adeptus eſt nomen. Unde orator quidam, cùm proferretur in judicio unum teſtimonium, ad judices ait: Uni teſti, ne Catoni quidem, ſtandum eſſe. Et vulgus jam incredibilibus & abſonis velut proverbio quodam dicebat hoc: Ne ſi Cato quidem auctor ſit, eſſe probabile. Cùm homo quidam perditus & ſumptuoſus orationem in Senatu de frugalitate & continentia haberet, exurgens Amnæus: Quis, inquit, te, bone vir, ferat cœnantem, ut Craſſus, ædificantem, ut Lucullus, concionantem nobis, ut Cato? Jam alios quoque turpes & nullius frugi, oratione autem ſervos & auſteros, per riſum Catones appellabant. *Plut. in Catone.*

Conſulti. In conſulendo aliis præpoſiti.

Crotoniatæ ſummo ſtudio à Pythagora petierunt, ut Senatum ipſorum, qui mille hominum numero conſtabat, conſiliis ſuis uti pateretur. Poſt mortem domum ejus Cereris ſacrarium fecerunt: quàmque diu illa urbs viguit, & dea in hominis memoria, & homo in deæ religione cultus eſt. *Val. l.* 8. *c.* 16.

D Timoleonti Corinthio pro libertatis reſtitutione à Syracuſanis honori datum eſt, ut nunquam quicquam ardui ſine illo conſuluerint. *Plutarchus in Timoleonte.*

Everſis ab Alexandro Thebis, cùm Athenienſes legatis de pace miſſis Alexandrum deprecarētur, primum plebiſcitum perhibent Alexandrum, poſtquam fuit ei oblatum, projeciſſe averſatumque legatos receſſiſſe. Alterum à Phocione allatum accepit, ubi de majoribus natu audivit Philippum quoque patrem habuiſſe hunc virum in honore: nec orationem modò & preces ejus admiſit, ſed audivit etiam conſilium. Suaſit ei Phocion, ſi otium expeteret, ut poneret arma: ſin gloriam, à Græcis verſa transferret ea in barbaros. Ac multis dextrè pro Alexandri ingenio & mente dictis, uſque adeò eum inclinavit, & demulſit, ut ille diceret, Athenienſibus advertendum rebus animum eſſe, quando, ſi quid factum eſſet, pertineret ad eos imperium. *Plut. in Phocione.*

Tanta Bartoli de Saxo ferrato J. C. fuit auctoritas, ut in Hiſpania & Luſitania more ſit introductum, in diverſis doctorum opinionibus Bartoli ſententiam ſequi. *Th. Diplonatius ex Bapt. Severino in tract. de Modo ſtudendi.*

Indices, Arbitri facti. E

Athenienſes Ageſipolis Spartanorum rex juſtitiæ nomine arbitros de propria lite conſtituit, cùm ipſi Megarenſes arbitros delegiſſent: Turpe, inquiens, fore, ſi Megarenſes meliùs norint, quid juſtum ſit, quàm hi, qui ſe Græcorum duces ac rectores præſtitiſſent. Simul declarans, & quàm ſuæ fideret cauſæ, & quàm adverſariis non diffideret. *Plut. in apoph.*

Bello inter ſe decertantes Ptolomæus Ægypti atque Alexander Macedonum rex, ſpretis multis vicinis regibus, ſolum Pelopidam Thebanum controverſiarum ſuarum arbitrum fecerunt, pluris bonitatem ejus, quàm regna vireſq; aliorum facientes. Itaque nullo ſtricto gladio, nullo effuſo ſanguine, pacem, quam dixerat, ſervarunt. *Fulg. lib.* 1. *cap.* 5.

Cùm grave bellum in Italia gereretur, & Venetarum copiarum dux Franciſcus Sfortia Mediolanenſis eſſet: Veneti & Philippus Mediolanenſis dux cum fœderatis ſuis controverſiarum arbitrum fecerunt Franciſcum, non minùs illius fidei credentes, quàm antea ſæpè militarem ejus virtutem feciſſent. Ejus igitur judicio pars utraque ſtetit, & ipſe omnium Italicorum principum militaris dux creatus, initæ et- F iam pacis cuſtos atque conſervator, quod ante nemini aut rariſſimis contigit, declaratus fuit. *Fulg. lib.* 2. *cap.* 5.

Reges ac principes exteri ab extremis Germaniæ, Italiæ & Hiſpaniæ oris, ad Gallorum ſenatum, velut ad ſacrum æquitatis aſylum, olim confluebant. Fridericus II. Imp. controverſias, quæ illi cum Innocentio IV. intercesſerunt de regno Neapoleos, ad eum ſenatum detulit, & comes Namurcenſis cauſam egit in eo ſenatu adverſus Carolum Valeſium, pro comitatu Namurcenſi, non veritus gratiam tanti principis, quem judicio ſuperavit. Conſimiliter Philippus Tarenti princeps Burgundiæ ducem in eo ſenatu vicit, cùm ageretur de ſumptibus factis pro Imperio Græcorum recuperando. Idem tamen alio judicio multatus eſt. Pari voluntate dux Lotharingus, & Vidus Caſtillioneus ejus ſororius, familiæ herciſcundæ judicium ibidem acceperunt: quinetiam Delphinus & Comes Sabaudiæ, cum de Marchionatu Salutiarum inter ſe contenderent, & ſua ſe voluntate eò contuliſſent, Comes judicio victus eſt, ac rurſus alio judicio fructus & omnem cauſam reſtituere damnatus, æſtimatione facta ducentarum auri librarum. Pòſt etiam Ca- G meracenſes liberi populi in jus vocati, ut rebus à ſenatu judicatis acquieſcerent, ſe judicio ſtiterunt, ſatiſque fecerunt. Sed exemplum illuſtrius nullum eſt, quàm quòd reges Caſtellæ & Luſitaniæ percuſſis inter ſe fœderibus, ea non priùs vim habitura judicarunt, quàm à Pariſienſi Senatu ſancirentur, & patentibus portis promulgarentur. *Ioan. Bodin. Methodi hiſt. cap.* 6.

Obedientia præſtita.

☞ *Conſule Tit. Obedientiæ tam ſacræ, quàm profanæ. Illic Affectus eorum qui obediunt, habetur ratio, hic eorum, quibus obeditur, Auctoritatis.*

Pax facta.

Apollonius Tyaneus philoſophus, excellenti doctrina ſua, ac ſingularis innocentiæ fama, quanquam adhuc ſileret, nondum peracto Pythagoreorum quinquennio, multas Aſiæ inter ſe decertantes urbes ſolis nutibus ad pacem redegit. Id præcipuè Aſpendii egit, quæ urbs in Pamphylia eſt. Nam cùm illic propter annonæ charitatem inopes contra opulentiores tumultuarentur, nutu inopes repreſſit: ditibuſque perſuaſit, ut erga tenues largos ſe præberent. Quibus ex H rebus aucta ejus veneratio, etſi inops nudiſque pedibus iter faceret, non ſolùm apud Aſiæ urbes, apud quas ceu numen colebatur, verùm etiam à Babyloniis Indiſque regibus, magnis honoribus exceptus fuit, & omni neceſſaria re adjutus. *Fulg. lib.* 1. *cap.* 5.

Seditio compreſſa.

M. Popilius Lævas conſul cum eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum læva faceret (erat enim flamen Carmentalis) plebis contra patres ſeditione nunciata, ut erat læva amictus, ita venit in concionem, ſeditionemque cum auctoritate, tum oratione ſedavit. *Cicero in Bruto.*

P. Scipio Africanus, tumultuantis populi vociferatione impeditus: Me, inquit, ne militum quidem armatorum clamor unquam terruit, neque hominum tumultus terrebit, quorum Italiam ſcio novercam eſſe, non matrem. His verbis repreſſi ſunt, & tumultuari deſierunt. *Polyæn. lib.* 8.

Cùm Artabanus Parthorum rex, conſpiratione regno pulſus cum cognatis & familiaribus, ad Izathem Adiabenorum regem veniſſet, opem ejus in reſtitutione regni petiturus, Izathes

A thes honorificè eum ſuſcepit. Scripſitque pro eo ad Parthos ſuadens, ut ſuum regem reciperent, fidem ſuam interponens non fore eum injuriarum memorem. Parthi ſe id poſſe negabant, quòd jam principatum dediſſent alteri, nomine Cinnamo: timentes, ne bella civilia exoritura ſint. Cinnamus autem voluntate procerum cognita, cum eſſet alumnus Artabani, ſcribit ei, ut accepta à ſe fide reverteretur, recepturus amiſſum dignitatis faſtigium; à quo ille perſuaſus rediit. Cinnamus autem obviam profectus, adorato & regis appellatione ſalutato, diadema ſuo capiti detractum, impoſuit. Et Artabanus Izatæ opera in regnum ſuum reſtitutus eſt. *Ioſeph. lib. 20. cap. 2. Antiq.*

Eſt C. Jul. Cæſar dictator militari ſeditione aliquando exagitatus, ita tamen, ut in nullo ducum majora interim extiterint auctoritatis exempla, quorum unum ſatis ſit referre. Dum Africam bello petit, Romæ legionarii, mota ſeditione miſſionem efflagitabant: obtulit ſeſe ille nihilo ſecius ſævienti multitudini, omnibus amicis fruſtra revocantibus. Cæterùm uno verbo, quo eos Quirites, & non mi- B lites appellavit, adeò circumegit, ut reſponſum ſit, ſe milites eſſe, non Quirites: moxque exauctorati ægrè precibus obtinuerunt, ut in integrum fuerint ab eo reſtituti. Sic circa Placentiam ſexta legio multata: ſic C. Caſſius Pompejanorum ducum unus, cùm plures ductaret naves in Helleſponto ad bellum inſtructas, eidem Cæſari ceſſit parvo navigio ſedenti. Tanta uni ducum auctoritas non ſolùm inter ſuos fuit, ſed ſuperfuit etiam apud hoſtes. *Sab. lib. 6. c. 8.*

Donus I. Pontifex tantum doctrina & ſanctitate vitæ valuit, ut Ravennatum Eccleſiam, à Romana jampridem ſegregatam, & ob eam rem Allocephalon appellatam, ſedi Apoſtolicæ obtemperantem reddiderit, Theodoro ejuſdem Eccleſiæ præſide ſe ſubjiciente. *Platina.*

Cùm Neapolitanus populus, Ferdinando rege ad Capuam Carolo IIX. Gallorum regi ſeſe opponere cogitante, Judæorum trapezitarum ædes ſpe prædæ diripuiſſet, totaque civitas ad defectionem ſpectare videretur: Ferdinandus rex properè advolans, tumultum ſedavit. Erat enim adeò celſo infractoque animo, ac vultu maximè ad promerendam gratiam ſereno, ut pro concione obnixè deprecanti, ne nefaria defectione ſe regem, vel potiùs omnium fratrem, in ipſo patriæ C gremio, apud omnium ordinum cives familiariter educatum, crudeliſſimis barbaris prodere vellent, certatim omnes fortunas ac liberos pro ejus ſalute obtulerint, modò incolumi exercitu Capuam tueretur. *Iovius lib. 2. Hiſt.*

Petrus Lauretanus maritimæ rei præfectus, ad Callipolim Turcicam claſſem primus vicit: ad Rapalum Franciſcum Spinolam Genuenſem cepit, cum octo triremium gubernatoribus, tribuſque conſiliariis: mox D. Marci procurator creatus, ſeditionem in area Marciana à claſſiariis remigioque, quod frequens ex Iſtria & Dalmatia convenerat in ſupplementum Pandanæ claſſis contra Philippum Mediolani ducem, concitatam, licèt æger adventu, ſuo compreſſit. Quam nec Ducis imperium, nec decemvirum auctoritas, ne ſatellitum copiæ avertere potuerunt, privati viri majeſtas coercuit, ita ut trepidi omnes diffugerent. *Egnat. lib. 7. cap. 1. & lib. 2. c. 5*

Aucupes. Aucupium.

D

Definitio Et Etymologia.

AUcupium eſt exercitatio quæ fit circa capturam avium ὀρνιθοθηρία Græcis.

Unde & auceps, qui eas capit: notum eſt illud Catonis:

Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Qui Exercuerint.

Philoctetes cùm cruciaretur non ferendis doloribus è vulnere à telo Herculis accepto, propagabat tamen vitam aucupio, configebat tardus celeres, ſtans volantes, pennarumque contextu corporis tegumenta faciebat. *Cic. lib. 5. de Finib.*

Bionis Smyrnæi idyllion bucolicum *Stobæus ſerm. 62.* affert propter elegantiam & ingenium lectu digniſſimum: de Adoleſcente quodam aucupe, Cupidinem alatum ramis inſidentem conſectante:

Ἰξευτὰς ἔτι κῶρος ἐν ἄλσεϊ δενδράεντι
Ὄρνεα θηρεύων, τὸν ἀπότροπον εἶδεν ἔρωτα
Ἑσδόμενον πύξοιο ποτὶ κλάδον. ὡς δ᾽ ἐνόασε
Χαίρων, ὥνεκα δὴ μέγα φαίνετο ὄρνεον αὐτῷ,
Τὼς καλάμως ἅμα πάντας ἐπ᾽ ἀλλάλοισι συνάπτων,
Τᾷ καὶ τᾷ τὸν ἔρωτα μεταλμένον ἀμφεδόκευεν.
Χ᾽ ὡ παῖς ἀσχαλάων, ἕνεκ᾽ οἱ τέλος οὐδὲν ἀπάντη,
Τὼς καλάμως ῥίψας, ποτ᾽ ἀροτρέα πρέσβυν ἵκανεν,
Ὅς νιν τάνδε τέχναν ἐδιδάξατο, καὶ λέγεν αὐτῷ,
Καί οἱ δεῖξεν ἔρωτα καθήμενον. αὐτὰρ ὁ πρέσβυς
Μειδιάων κίνησε κάρη, καὶ ἀμείβετο παῖδα·
Φείδεο τᾶς θήρας, μηδ᾽ ἐς τόδε τ᾽ ὄρνεον ἔρχευ.
Φεῦγε μακράν· κακόν ἐντι τὸ θηρίον. ὄλβιος ἔσσῃ,
Εἰσόκα μή νιν ἕλῃς. ἢν δ᾽ ἀνέρος ἐς μέτρον ἔλθῃς,
Οὗτος ὁ νῦν φεύγων καὶ ἐπάλμενος, αὐτὸς ἀφ᾽ αὑτῶ
Ἐλθὼν ἐξαπίνας, κεφαλὰν ἔπι σεῖο καθιξεῖ.

E

Adoleſcens olim auceps in nemore arboribus denſo dum venatur aves, fugitivum vidit Amorem buxi ramo inſidentem. Ut igitur animadvertit, gaudens (quoniam avis ei permagna videbatur) & calamos ſimul omnes inter ſe conjungens, huc illuc tranſilientem obſervabat Amorem. Tandem verò indignatus, quia nihil proficiebat, abjectis arundinibus, ſenem audivit aratorem, à quo hanc artem didicerat, eique rem narravit, & ſedentem oſtendit Amorem. Porrò ſenex ſubridens movit caput, & reſpondit puero: Abſtine venatione, nec iſtam avem inſequitor, fuge procul: F mala eſt hæc beſtia, tuque beatus, dum non ceperis ipſam. Sed cum adultus fueris in virum, ille qui nunc fugit, & reſilit, ipſe ſua ſponte accedens ſubitò capiti tuo inſidebit.

Dinias Pherenſis, ex aucupe tyrannus. *Vide. Tit. Aſtu tyrannidem invadere.*

De Philocrate Struthio tale plebiſcitum extat *apud Suidam.* Si occiderit quiſpiam veſtrum Philocratem Struthium accipiet talentum, ſi verò viventem illum adduxerit, quatuor: eò quòd congregat paſſeres, & ſeptenos obolo vendit: deinde inflat turdos, & oſtendit eos omnibus, & corrumpit. Merulis autem in nares inſerit pennas: itemque columbas capit, atque includit, & cogit decipere illigatas reti.

Lattones in Ægypto ab Actiſane Æthiopum rege amputatis naribus in ultima deſerti relegati, in Ægypti, Arabiæque finibus non procul à mari urbem Rhinocruram extruxerunt. Ubi omni re egentes, cogente neceſſitate, fiſſis calamis longa retia ſibi fecerunt, quibus juxta littus per plura ſtadia diſpoſitis, ex captis coturnicibus, verſantibus ibi G magno numero ad capiendos piſces, victum ſibi compararunt. *Diod. lib. 1. cap. 4.*

Eques Rom. auceps noctuam, quæ Auguſti ſomnum in villa turbabat, cepit.

☞ *Vide Tit. Avaritiæ reprehenſores.*

Lothericus quidam natione Dacus, pater Agnetis & Hubonis, cùm aucupio plurimùm delectaretur, fertur hyberno tempore, aſcenſa navicula, dum ſtudio inſectandi aquatiles aves circa littus vagaretur, ſubita ventorum vi in altum raptus, duas noctes huc atque illuc agitatus fuiſſe, ac tertio tandem die ad Orientalium Anglorum littus perveniſſe, & ob ſcientiam aucupandi, ab Edmundo rege in familiam receptus. Non interceſſerant multi dies, cùm hunc quidam ſervus accipitrum domitor, invidia motus, quòd ille in ea aucupandi arte peritior eſſet, per inſidias interemit; propter quod facinus cum à rege venia negaretur, in Daciam aufugit, ibique Edmundo infenſus, quòd impunitatem non conceſſiſſet, indicat Agnero & Huboni, patrem illorum Edmundi juſſu necatum fuiſſe. Illi ergo in Angliam cum exercitu profecti, Edmundum incautum oppreſſere. H *Polyd. lib. 4*

Theodericus Metenſium rex infeſto exercitu Thuringiam invaſerat. Victus magna ſtrage Heimenfredus rex, in urbem Chidingam ad fl. Onſtrit ſe recepit. Interea Franci in ſocietatem militiæ Saxones quoque recepere. Obſeſſa diu urbe, Thuringi eruptione facta, magnam cladem accepere. Itaque Hermenfredus legatum de pace ad Theodericum miſit Iringum militem, & vix tandem impetravit. Verùm dum reges deliberant de forma paſciſcendi, egreſſus Thuringus quidam urbe, ad fluminis ripam accipitrem emiſit in columbas, in adverſam ripam fugientes. Saxonum quidam accipitrem manu cepit. Tum Thuringus recipiendi accipitris cupidus, Saxonem magno clamore ad colloquium venire juſſit: habere ſe rem occultam quam indicet, pactus priùs ſibi reddi accipitrem. Dixit igitur, inter reges jam de pace conveniſſe: providendum Saxonibus, ne conjunctis inter ſe amborum armis opprimantur. Saxones de fuga cogitantes, ſenis unius voce confirmati, urbem nihil hoſtile metuentem invaſerunt, diripuerunt. *Crantzius lib. 1. Saxon. cap. 7.*

Capien-

A Capiendis avibus Henricus I. Imp. mirè deditus fuit. Undepropter ſtudium & artem fallendi volucres, dictus eſt Auceps. *Sabinus de Germ. Cæſ.*

Fallere quòd volucres laqueis viſcoque ſolebat,
Aucupis aucupii nomen ab arte tulit.

Fridericus II. Ænobarbus venatione & avibus plurimùm delectabatur, & primus in Italiam cum falconibus & accipitribus aucupandi morem invexiſſe traditur. *Teſtis Leander Bononienſis in Italia.*

Henricus VI. Imp. venationi ſummoperè deditus, falconum aucupium in Italiam primus invexiſſe creditur. *Collenutius lib. 4. Neap. hiſt.*

Ad mare rubrum Struthophi, gens non admodum magna, apud quos aves dicuntur eſſe cervorum magnitudine quæ volare non poſſunt, ſed celeriter currunt, quemadmodum ſtruthiocameli. Nonnulli eas arcu venantur, nonnulli pellibus ſtruthiorum tecti, nam dextram manum pelle colli operiunt, atque eam ſic movent, quemadmodum animalia collum, ſiniſtra verò ſemen ſpargunt, è ſuſpenſa pera eductum: eo avem illicientes, in convalles detrudunt, ubi viri B animal circumſiſtentes obtruncant. *Strabo lib. 16.*

In Thraciæ parte ſupra Amphipolim homines atque accipitres ſocietate quadam aucupantur. Hi ex ſylvis & harundinetis excitant aves, illi ſupervolantes deprimunt. Rurſus captas aucupes dividunt cum iis. Traditum eſt, miſſas in ſublime ſibi excipere eos: cùm tempus ſit capturæ, clangore ac volatus genere invitare ad occaſionem. *Plin. lib. 10. c. 8.*

Audacia. Audaces.

* Definitio Et Origo.

AUdaciam accipiunt propriè Theologi, & qui de virtutibus & vitiis ſcripſerunt, pro exceſſu in aggrediendo: cum quis, ut imminens malum repellat, aliquid aggreditur, quod non convenit, vel quando non convenit, vel eo modo quo nó convenit. Oritur autem hoc vitium partim ex ſuperbia, ejuſque filia vana gloria: partim ex defectu æſtimationis, vitæ propriæ, honoris, &c. partim ex animi ſtoliditate, & vecordia, qua non apprehendunt pericula. Eſtque auda- C cia, maxima diſpoſitio ad temeritatem, & nonnunquam pro iiſdem accipiuntur. Feſtus audaciam ab avidè, id eſt cupidè agendo deflectit. Hebrei autem *Betac* appellant, quod idem eſt, quod *Batac*, confiſus fuit, & Græcis τόλμα dicitur vel ſecundùm alios θράσος, quaſi nimia confidentia, qua quis ſine reſpectu rem quampiam aggreditur. —

* Mores Audacium.

Dicit *Ariſtoteles*, Audaces eſſe timidos, unde eos vocat θρασυδειλοὺς. Initio enim inquit: Præproperi ſunt, & antequàm res urgeat, adire pericula volunt: In ipſis autem periculis cedunt & abſiſtunt. Quare ſapienter Poeta *Latinus in Thebaid. 10. Da,* monet, *ſpatium, tenuemque moram, mala cuncta miniſtrat impetus:*

Et Ovid. 10. Metam. In audaces.

Non eſt audacia tuta.

Sed & Græcus comicus hortatur: Τὸ πολλὰ τολμᾶν πολλ᾽ ἁμαρτάνειν ποιεῖ.

Audere multa, multa nos labi facit.

Audacia Seu Temeritas In Propulsando.

Quemadmodum Fortitudinis vocabulum omnes ſpecies com- D *prehendit: ita quoque Temeritas exceſſum, Timiditas defectum hujus virtutis indicat. Temere profectò illud fieri dicitur, quod* ἀνοήτως, *ſtultè, inconſideratè & abſque ratione, quamvis magno cum conatu, atque robore fit. Tales fuerunt olim Gigantes, Cyclopes, Læſtrygones, & quivis alii Barbari, deorum immortalium, hoc eſt, ipſius rationis, per quam à belluis differimus, & ad deorum naturam proximè accedimus, contemptores. Audaciam Latini vocant, detorto fortaſſis vocabulo à Græcorum* αὐθαδείᾳ. *Eſt enim* αὐθάδης, αὐτάρεσκος, *ut* Euſtachius *interpretatur, ſibiipſi nimium tribuens, ſuo robori plus ſatis confidens: eaque propter etiam Superbiæ vitio laborat. Iam verò Temeritatis vocabulo in ſpecie inconſultam animoſitatem in propulſando exprimimus, eamque Fortitudini propulſanti verè opponimus. Habitus ipſe per ſe & ſemper vitioſus eſt: effectus interdum laudabilis, quando rationis erratum ſucceſſus fortuitus emendat.*

Qui Audaces, ſcilicet Populi.

Athenienſes nunquam pacem decernere Demades dicebat, niſi pullis veſtibus indutos: innuens eos bellandi plus ſatis cupidos, nec niſi clade accepta de pace cogitare. *Plut.*

Reges, Duces.

E

Cùm ad Platæas Græci contra Mardonium conſediſſent, poſt equeſtre prælium abſtinuit diu utraque pars pugna. Propugnantibus enim vates juxta Perſis ac Græcis victoriam denunciabant ex extis: perniciem, ſi invaderent hoſtem. Tandem Mardonius, quòd ei in paucos dies ſupereſſet commeatus, Græcorum verò quotidie affluentibus aliquibus numerus creſceret, hoſtes adortus, cum exercitu cæſus eſt. *Plut. in Ariſt.*

Nearchus ſcribit, ab amicis, qui ægrotantem curabant, Alexandrum Magnum objurgatum, quòd in prima acie dimicaret: militis enim id eſſe munus, non imperatoris. Quæ verba moleſtè non tulit Alexander, quòd & vera eſſe intelligeret, & meritò ſe reprehendi agnoſceret. Et tamen ob impetum animi in præliis, & gloriæ cupiditatem, ut ii, qui alia quapiam voluptate vincuntur, pericula vitare noluit. *Suidas.*

Idem Tyrum oppugnans, è turri lignea ponte applicato, urbis murum ſolus conſcendit, nihil veritus, quòd ſibi fortuna facinus tam glorioſum invidere poſſet: neque acerbiſſimo hoſtium animo in ſe commotus, ſed rem in Macedo- F num ſuorum conſpectu geri gaudens, eis ſubſequi juſſis, ipſe ante omnes, hoſtium reſiſtentium quoſdam lancea, quoſdam enſe conficiebat, nonnullos clypei impulſu deturbabat, quæ audacia multùm animos hoſtium comminuit. Interim cùm alibi ariete pars muri magna fuiſſet disjecta, atque ita in urbem irruerent Macedones, jamque multi per pontem Alexandro ſe adjunxiſſent, urbs ſeptimo menſe capta eſt. *Diod. l. 17.*

Idem quoque in Mallis, quos Indorum perhibent bellicoſiſſimos fuiſſe, penè conciſus eſt. Cives enim telis à muris rejecit, poſitiſque ſcalis in murum evaſit primus; quæ ubi imminutæ ſunt, atque à Barbaris infrà ſtantibus juxta murum multa tela ingeſta, paucis comitatus, librato corpore in medio ſaltu ſe immiſit in hoſtes, & fortè fortuna ſe pedibus excepit. Cujus vibrantibus armis jubar aliquod & ſpectrum Barbaris videbatur pro corpore ejus obſervari. Unde primùm in fugam effuſi ſunt. Cæterùm, ut duobus tantùm comitatum armigeris conſpexere, impreſſione facta alii cominùs gladiis lanceiſq; trajecerunt arma ejus, pugnantemque fortiter convulneraverunt. Unus paulò remotior G ſagittam arcu excuſſit tanta vi & impetu, ut adacta per loricam, in coſtas ejus ſecundùm mammam defigeretur. Ad ictum remittente Alexandro, & inclinante corpus, ille qui miſerat ſagittam, enſe diſtricto barbarico accurrit. Aſſiſtebant ei Peuceſtes & Limnæus (Timæus eſt apud Curtium) qui vulnerati ambo, alter cecidit, Peuceſtes reſtitit. Barbarum Alexander obtruncavit. Multis confixus vulneribus, tandemque ictus piſtillo in collo, corpus mœnibus applicavit, directa in hoſtes acie. Interea circunfundentibus ſe Macedonibus abreptus, ſemianimiſque jam in tabernaculum eſt relatus, ac modò regem vulgatum eſt in caſtris expiraſſe. Ingenti difficultate ac labore ſagittam, quæ lignea erat, abſcindunt. Tum detracto tandem thorace accingunt ſe ad evellendum ſpiculum, quod uni oſſi erat infixum. Dicitur tres digitos latum fuiſſe, longum quatuor. Unde animo identidem linquente penè exanimis, exempto eo tamen recepit ſe. *Plut. in Alex.*

Idem Oxydracarum Indorum metropolim, fruſtra diſſuadente Demophoonte aruſpice, quòd vulnus accepturus eſſet, oppugnare parabat. Ipſe primus urbem ſequentibus H copiis aggreſſus eſt. Ibi quum ſeriùs machinæ adducerentur, portam unam adortus perfregit, irrumpenſque in urbem, multos interfecit, reliquos in fugam verſos, uſque ad arcem eſt perſequutus. Interim verò Macedonum multitudine adhuc in tentandis mœnibus occupata, non cunctatus, ipſe ſcalam properè arripuit, & muro arcis applicuit, ſcutoque ſupra caput prætento, inſcendere occœpit. Tantam autem his omnibus celeritatem adhibuit, ut priùs quàm excubitores Barbari in muri cuſtodiam venirent, ipſe jam in eum ſummum conſcenderit. Non audebant hoſtes propiùs accedere, ut manus cum eo confererent, ſed eminùs & jaculatores & ſagittarii ita eum graviter urgebant, ut vix miſſilium vim ſuſtineret. Macedones ſcalis, quas duas appoſuerant, frequentes ſcandere conabantur; ſed eis pondere perfractis, omnes in terram deciderunt. Igitur omni deſtitutus auxilio Alexander, ſolus & armis oneratus in ipſam arcem deſiliit, Indiſque impetu facto in eum incurrentibus, audaciſſimè reſiſtebat. Dextra arborem propè mœnia poſitam, læva murum ipſum, ne circumveniri poſſet, ſibi pro

muni-